HEROICAE VIRTUTI EMINENTISS. ET REUERENDISS. PRINCIPIS PETRI ALOYSIJ S.R.E...

Francesco Carafa, Pierre Miotte, Papparardi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
1 E
1126

Digitized by Google

14 · 1 E. 26

Digitized by Google

14. 1. E. 26

THESES PHILOSOPHICAE

QVAS EX TRIPLICI PHILOSOPHIA

depromptas publicæ diſputationi proponit

ROMAE,

IN COLLEGIO CLEMENTINO

Patrum Congregationis Somaſchæ

FRANCISCVS CARAFA

Eiuſdem Collegij Conuictor

Auſpicijs

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPIS

PETRI ALOYSII

S.R.E. CARDINALIS CARAFÆ.

SOC·IESV·BIBL·SEC·COLL·ROM·
IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE,
Ex Typographia, Franciſci Monetæ. M.DC.LI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

PETRO ALOYSIO CARAFAE

S. R. E. CARDINALI,

AC BONONIAE APOSTOLICAE SEDIS LEGATO, ETC.

[library stamp]

FRANCISCVS CARAFA F. P. D.

MISERAM virtutis conditionem pauci ſunt quin lugeant P. E. Eius enim adeò imbecillæ vires, & leue in rebus humanis momentum videtur, vt nihil illa eniti, nihil aſſequi, nullo clientes ſuos ornare pręmio poſſit: ex qua re euenit, vt veluti muliercula de triuio deſpectui, ac propemodum ludibrio hominibus ſit: Fortunæ contrà omnes litant; illi aræ, illi thura fumant. Sedet namque in ſolio rerum humanarum Domina, & cuicunque libuerit honores, ac potentiã elargitur; Neque eſt cur emergere ſperet è ſitu cui fortuna dexteram non tetenderit. Mihi verò certum

Digitized by Google

in animo eſt,non aliud veris bonis præſidere numen, quàm virtutem & recta incedenti per templum virtutis,ad honoris templum adeundum omni tempore fuiſſe. Fortunam autem, vel inane nomen à cauſarum ignoratione effictum cum ſapientioribus puto vel ſi qua eſt, virtutis comitem, atque adeò pediſſe, quam apello. Sanè ſi aliter ſentiam, dum te ipſum, & vitæ Tuæ curſum contemplor, facilè de praua ſententia deducor. Etenìm video Virtutis vim, ac potentiam in Te ornando ſic elucere; vt repoſitam, ſeu veriùs ſtabilem ſuo in ſolio Reginam adorem, & deiectam ad terram ancillulam contemnam. Quidquid honorum in Te congeſtum potiùs, quàm collatum Summorum Pontificum munifica manu eſt, Virtutis merito; non fortunę inſano beneficio traditum nemo non aſſerit. Illa Præfecturas, illa infulas, illa perhonorificas legationes, illa purpuram, & ſublimiores gradus in purpura detulit, nouaſque addit quotidie prouincias. Nimirum compertum omnibus facere voluit, non ſibi vires,quibus eleuet ſuos; non animũ deeſſe,ſed ab hominibus cauſam oriri,qui virtutis Vmbram pro Virtute ipſa ſępiſſimè amplectuntur. Quid autem mirum, curſum tenere propoſitam ad metam, vt nequeat, ſed plerumque in ſabulo hæreat, vel allidatur ad ſcopulos, qui vmbra leuiſſima plenus nullo pondere ſtabilitur? Solido virtutis corpore Tu confirmatus aduerſis repugnare fluctibus potuiſti, & Victor procellarum, quotquot nauiganti occurrerunt,

Chol-

Digitized by Google

Cholchos attingere tantò glorioſior, quantò ſudore madidior. Iam verò aureo vellere comparato, non te ſolùm, ſed virtutem ipſam decoraſti, nam benefactrici tuæ gratiam vt referas, bonis per eam partis procul ab ea frui non vis. Fulget in partem honorum recepta ſub purpura tua virtus, & de loco Eminentiſſimo formam, ac pulchritudinem ſuam, qua nihil amabilius, latiſſimè oſtentat Ergò dum admirabilem amorem ſui vbique gentium virtus Tua excitat, me, cui genus, & beneficiorum tuorum vincula propiùs tantum ſplendorem haurire dederunt; ita illexit, ac propemodum irretiuit, vt non alia mihi luce vtendum in vita inſtituenda putauerim, quàm quæ à virtutibus tuis emanat. Neque aliud ſydus quæſiuerim ſtudiorum meorum curſum directurus, quàm Te Caraſeæ gentis, ideòq; nunquam à me alienum ſydus, immò ſolem fulgidiſſimum. Ecce Philoſophiæ templum Te auſpice emenſus ſum, iamque ad aram ſtatuor, laureã, & annulum à Regina ſapientiſſima ſuſcepturus. Hic patrocinium tuum Cardinalis Eminentiſſime vehementiùs imploro, ne in reddenda ratione curſus mei deficiã; vt ipſa Regina, quã Tibi vſque à prima adoleſcẽtia cõciliaſti, vultu amiciſſimo lenita facilior reddatur. Alas (obſecro Te) quibus innumeros clientes ſcholaſticis in concertationibus obumbraſti expande, meq; ſub eas ambitioſiſſimè confugientem, maiore etiam, quàm cœteros ſoles, benignitate excipe. Procax videor in rogando. Excuſat me gentis nomen, quod

mihi

mihi tecum commune contigit. Non ita cauſa mea agitur, quin & tua aliqua parte agatur; Rem tuam gerenti, præſentius à Te ſubſidium, quòd expoſcat, quis meritò ſuccenſeat? Lucem Tibi, vt afferam, optare quidem poſſum, at ſperare non licet; (Ecquis enim ſoli ſplendorem addat?) Ne tuos verò radios aliqua vmbra obnubam, cauendum mihi eſt, nam & vilis nebula uelum aliquando Soli obtendit. Et quoniam Tu adeo lætaris cum benefeceris, ut non dare, ſed accipere beneficia uideare, ſi quid à me Tibi collatum in hac re putabis: Scito id meritornm tuorum in me, & omnes meos, fructum leuiſſimum eſſe, & obſeruantiæ erga Te meæ teſtimonium, quam ut tandem publico aliquo argumento palàm facerem, primos labores meos in litteris Tibi deferendos ſtatui. Sic enim, credo, non obſcurè ſignificabitur, quanti apud me Tu ſis, & quantum me Tibi debere intelligam, dum primitias, quibus Dij ipſi colebantur, deuotus Tibi iamdudum animus offert. Vale diutiſſimè.

Digitized by Google

PROLOQVIVM.

PRIMA Victorum Trophæa ex arboribus eſſe confecta, quas, amputatis ramis, hoſtium ſpoiijs, Regum præſertim, ac ſummorum Ducum decorabant, omnes eruditi teſtantur. Hinc ingenioſè commentus eſt non nemo, Ioui ſacratam arborem, pro fructibus, auro onuſtam eſſe coronario, nec non multiplici Tiara, ac ſceptro, omnibuſque honoris inſignibus, quæ ſcilicet ab immerentibus Principibus, tanquam ab hoſtibus aufert Deus, pulchrumque erigit in Trophæum, dignis Heroibus, in quibus triumphat, reddenda, virtute duce, & adminiſtra, quæ non procul ab Arbore glorioſos fructus indicat, & decerpit. Nec alia de cauſa crediderim coluiſſe virtutem Romanos, eiuſque Templum ita coniunxiſſe cum Aede honoris, vt in hanc non niſi per illud pateret aditus: Vt nimirum ſignificarent veram, vnicamque parandi honoris viam eſſe virtutem. Huius ego Templum animo, & cogitatione non ſemel ingreſſus, virtutes omnes, non ſine maxima voluptate, & admiratione perſpexi, ex Ioui deuota quercu ſerta, & diademata certatim legere, quibus digniſſimi Herois glorioſa decorarent inſignia, & ſummum CARAFAEAE gentis Decus, ac Principem Eminentiſſimum PETRVM ALOYSIVM omni honoris ſignificatione ſuis, non alienis manibus cohoneſtarent. Inde me, cui gentis nomen commune contigit acres pupugere ſtimuli, & cupido inuaſit, non eſſe degenerem, ſed digno plauſu Herois proſequi triumphũ, eiuſque ſtemmatibus exiguam ſaltem aliquam lauream, pro meo modulo, veluti exteriùs adnectere, in deuoti animi argumentum. At dum eam modò ab hac, modò ab illa virtute enixè flagito, audiui ab omnibus, nemini, niſi poſt legitimum certamen lauream deferri. Tunc verò exarſit animus ad pugnam, & pugnaciores diſciplinas, vberrimos virtutum fontes, Triplicem aggreſſus Philoſophiam, Logicam ſcilicet, Phyſicam, & Metaphyſicam, arma, & tela, quibus in Mineruæ Theatro dimicarem, poſtulaui, & illicò accepi, Theſes nimirum philoſophicas, quas (tantus eſt pugnæ ardor) non more laconico, ac veluti mucrone in Hoſtem tantùm conuerſo, ſed fuſiùs, & quaſi tela verborum, & argumentorum copia, ipſis aduerſarijs ſuppeditans, amico diſſidio, quale plaudentes decet, pugnæ ſcilicet

non voluntatum, ſed ingeniorum, Palladijs concertationibus libentiſſimè addico, ſecurus vincendi, etiamſi vincar; dum nimirum pro Trophæo ac laurea, veritatis cognitionem, ſi non aliud, ex ignoratione proſtrata reportabo. Placuit autem ex Philoſophia Vniuerſa eam doctrinæ partem excerpere, quam Peripatetici non exotericam, ſed acroamaticam vocant, tum quia hæc ſola ſcholaſticis dimicationibus arma præbet, tum quia, cum decretum ſit, (quo lætiori, & aptiori plauſu Harmonica planè, & omnibus numeris abſoluta, triumphans Principis virtus excipiatur) Palladis bello muſicam coniungere ſymphoniam, non alijs meliùs, quàm acroamaticis Theſibus poſſe dulce acroama interſeri viſum eſt.

EX

Digitized by Google



EX RATIONALI PHILOSOPHIA.

DE NATVRA, ET OBIECTO LOGICÆ.

1 LOGICA, quæ & Dialectica, & rationalis Philoſophia non immeritò dicitur, eſt diſciplina quædam in humanæ mentis actus reflexa contẽplatione intenta; quos dum rectè exercendi modum perhibet, ſcientiarum ianuam ſe præbet. Eius obiectum partiale præcipuum eſt ſola demonſtratio propter quid, quippèquæ principem locum obtinet inter ea, quæ Logica conſiderat. At obiectum attributionis adæquatum eſt modus ſciendi, latè acceptus pro quauis recta cognitione intellectiua, cuius præcipuę ſpecies ſunt definitio, diuiſio,& argumentatio, ſub hoc enim continetur, quiquid ipſa per ſe tractat.

2 Non ſolùm definitio, & diuiſio conſiderantur in ordine ad argumentationem: Et in vniuersùm prima, & ſecunda operatio in ordine ad tertiam, ſed etiam per ſe tanquam ſpecies obiecti: Habent enim ſpecialem rectitudinem, particularibus præceptis inducendam, etiamſi omnes aduentitij reſpectus præſcindantur; quorum ſi velimus habere rationem, vix aliquid inueniemus, quod per ſe tractetur à Logica; nam etiam diſcurſus omnis apprehenſionem, & iudicium iuuat, eoque, abditas rerum definitiones, humanus intellectus venatur.

Res

Digitized by Google

3 Res omnes ſunt materia remota , non proxima , non enim directa , & realis , ſed reflexa, & rationalis doctrina eſt Logica ; neque coñſiderat rerum naturam, ſed modum eas rectè apprehendendi , de iiſdem iudicandi , & diſcurrendi ; proinde non modus ſciendi obiectiuus , ſed formalis in ea ſubiecti locum tenet. Sic obiectum artis pingendi ſtatuitur pictura non res quæ pinguntur . Homo vel intellectus nullatenus cognoſcuntur in Logica , vnde ineptè ab aliquibus eius materiale obiectum cenſentur. Similiter non eſt Logica de ente rationis ſollicita , quò præcisè repugnante, adhuc ipſa ſubſiſteret: vnde tale ens fictitium , vtcumque explicetur, eius formale obiectum nullatenus eſſe poteſt .

4 Eſt Logica verè , & propriè ſcientia , quia ex certis, & euidentibus principijs propriam continentibus cauſam , plures , ac præcipuas concluſiones ſuas , eaſdemque neceſſarias deducit . Eſt operatiua , ſeu directiua, & regulatiua ſui obiecti ,& in hoc ſenſu practica , alioquin quorsùm ſpectant tot Logicæ præcepta, ac regulæ ? Habet nihilominus aliquos actus , qui non ſunt regula operis faciendi,nec rē operabilē operabili modo conſiderant,ratione quorū ſpeculatiua ex parte dici poteſt:

5 Diuiſio Logicæ in actualem , & habitualem , quæ cæteris, quoque diſciplinis proportionaliter applicari poteſt , optima eſt . Actualis eſt reflexa cognitio de modo rectè cognoſcendi, habitualis verò eſt habilitas quædam ex actualis frequentatione in intellectu relicta , quæ ad actus aliarum ſcientiarum non concurrit immediatè per ſe ipſam . ſed mediante proprio actu elicito , non phyſicè efficiendo , ſed dirigendo. phyſicus enim, & immediatus concurſus , ſufficientiſſimè aliundè habetur: Et quòad hoc eadem eſt ratio de quouis alio habitu practico , ſi non cum proprio dictamine, ſed cum alia operatione, ſiuè interna, ſiue externa,quā eo mediante dirigit,conferatur .

6 Celebris illa Logicæ partitio in docentem , & vtentem non eſt in habitus re ipſa intrinſecè diuerſos, nam neque aliæ ſcientiæ, puta phyſica , vel metaphyſica , ex hoc quod Logica in ſuis demonſtrationibus vtuntur dici poſſunt Logica vtens in recto , neque hæc eſt peculiaris habitus, tam à docente, quàm ab alijs ſcientijs re vera diſtinctus, cuius munus ſit actu concurrere ad actus ſcientiarum, iuxtà præcepta Logicæ docentis , nam vel eſt ſermo de concurſu immediato , & effectiuo : Et hic à proprijs particularibus principijs ſufficienter habetu r: Vel de concurſu directiuo , & hunc tribuit ipſa Logica docens , quæ cum per ſua præcepta ſit directiua, & regulati-

ua ,

Digitized by Google

ua; per eadem etiam, cum opus fuerit, debet actu dirigere, & regulare, eius enim eſt actus, cuius eſt potentia. Quarè dicendum eſt Logicam docentem, eſſe vnum, eundemque habitum, cum ſola diſtinctione rationis, penes extrinſecum connotatum; quatenus enim tradit, in communi præcepta, dicitur Logica docens, quatenus verò per præcepta tradita hìc, & nunc particulares ſyllogiſmorum confectiones actu dirigit, vtens Logica nuncupatur.

7 Habitus Logicæ, neque ad ipſam Logicam actualem, neq; ad alias ſcientias, ſiue actuales, ſiue habituales eſt ſimpliciter neceſſarius, quia nullus habitus acquiſitus dat ſimpliciter poſſe operari, cum illud eſſentialiter pręſupponat, vtpotè per ipſam operationem genitus: Actualis verò directio, quæ per Logicæ præcepta, & regulas habetur, multùm quidem confert ad citiùs, ac ſine maxima difficultate, & conatu ſcientias acquirendas: vt ſi Logicæ ignari cum doctis conferantur, apertè patebit: non tamen ob hoc ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria cenſeri debet, quia quemadmodum ipſa Logica, aliqua ſaltem ex parte, abſque alia præuia directione habetur, ita, & aliæ ſcientiæ, valido adhibito conatu, & ſtudio, obtineri poſſent.

DE VNIVERSALIBVS,

ET PRÆDICABILIBVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

8 PRAETER Vniuerſale in repræſentando, & ſignificando, admitti debet vniuerſale in eſſendo, ſeu obiectiuum, quod eſt vnum aptum eſſe in multis, de quibus poteſt affirmari. Non tamen propterea exiſtit, vel eſſe poteſt natura aliqua vniuerſalis realiter à ſingularibus auulſa, ac per ſe ſubſiſtens: Quomodò enim id, quod eſſentialiter prędicatur de aliquo, poteſt ab eo realiter abiungi.

9 Hinc autem fit non eſſe in rebus vniuerſale formaliter, & completè acceptum, ſed fundamentaliter ſolùm, materialiter, & incompletè; ſeu clariùs eſſe quidem in rebus naturam, quæ denominatur vniuerſalis, re vera incluſam, & multiplicem effectam in inferioribus, ſeu in multis ſingularibus naturis conſimilibus; non tamen ipſam vniuerſalitatem: Rea-

Digitized by Google

lis enim naturæ vniuerſalitas,eiuſdem reali multiplicitati contradictoriè opponitur.

10 Et ſi Vnitas formalis, vnicuique eſſentiæ,per ſe conueniens, ratione diſtinguatur à numerica, quatenus optimè poteſt concipi naturam humanam eſſe humanam, & non equinam, nullo concepto indiuiduo;nihilominus extra intellectum nulla datur formalis vnitas, re ipſa minor numerica, quę pluribus ſit communis, ſed tot re vera ſunt vnitates formales, quot indiuidua; cum enim vnitas ſit negatio diuiſionis, non poteſt naturæ realiter diuiſę competere, & cum non detur aliqua natura communis, ſed tot multiplicentur naturæ, & eſſentiæ, quot ſunt indiuidua, idem dicendum eſt de vnitate formali, quæ veluti tranſcendentalis proprietas, in naturæ conceptu eſſentialiter imbibitur.

11 Hoc autem ſic poteſt vlterius confirmari, quia quoties differentiæ indiuiduales ſunt realiter diuiſæ, per eaſdem etiam omnia ſuperiora prædicata realiter diuidũtur,quia differentia eſt alicuius differētia,&diuiſio aliquid diuidit;ſed hoc aliquid quod differētia,& diuiſione indiuiduali diuiditur,eſt ipſa entitas,ipſa eſſentia,& prædicata,quæ ſunt in indiuiduis,ergo hæc omnia in illis non ſunt quid vnum, ſed realiter multiplicantur; cum præſertim differentiæ indiuiduales ab eſſentijs, quas multiplicant, nullatenus re ipſa actu diſtinguantur.

12 Iiſdem ferè rationibus euincitur, in nullo ſtatu, qui intellectus præciſionem non inuoluat, vnitatem aliquam communem, ſiue modo negatiua, ſiue poſitiua vocetur, ſiuè indifferentia ad vnitatem, & diuiſionem conuenire naturæ. Solùm admitti poteſt in indiuiduis vnitas fundamentalis, hoc eſt ſimilitudo quædam, & conuenientia, maior, vel minor, prout plura, vel pauciora ſunt prædicata, ſecundùm quæ attenditur: Quæ fundamentalis vnitas eſt valdè impropria, cũ non excludat diuiſionem, ſed diſconuenientiam dumtaxat, & diuerſitatem: prębet tamen fundamentum intellectui cõcipiendi naturam per modum vnius, eamque faciendi formaliter vniuerſalem.

13 Fit autem natura Vniuerſalis non per cognitionem intuitiuam, vtpotè attingentem rem immediatè, & per propriã ſpeciẽ;neque per confuſam notitiã,qua omnia eiuſdẽ naturę indiuidua indiſtinctè cognoſcantur: nam omnia indiuidua naturæ, etiam confusè cognita, non ſunt quid vnum, ſed plura, nec poſſunt eſſe in pluribus, vel de illis prædicari: ſed per cogni-

gnitionem præciſiuam, qua concipitur natura cum ſuis prædicatis eſſentialibus, non conceptis differentijs inferioribus eã diuidentibus: Vt ſic enim natura non eſt aliquid ſingulare, ſed commune omnibus ſingularibus, non eſt diuiſa, & multiplex, quia non concipitur cum differentijs per quas diuiditur; & tandem nihil inuoluit, per quod determinetur ad hoc potius quàm illud indiuiduum, ac proindè vt ſic eſt indifferens per rationem ad multa, nihil ergo illi deeſt ad rationem vniuerſalis.

14 Quod verò ſit poſſibilis immò neceſſaria, gradus communis ab infeririobus obiectiua præciſio, ex eo patet, quia aliter gradus communis, v.g. animal non poteſt de ſingulis inferioribus affirmari, dum enim dico homo eſt animal, illud totum prædico de homine, quod concipio ex parte prædicati, terminus enim idem prædicat, quod ſignificat, ſed non prædico hinnibilitatẽ, mugibilitatẽ, aliaſq; differentias; ergo eas ex parte prędicati nõ cõcipio. Neque dicas ex hoc ſequi idẽ cognoſci, & nõ cognoſci; retorquetur enim argumentũ, nã certè per conceptum animalis, vtpotè per ipſos etiam aduerſarios à rationalitatis conceptu diuerſum, non ita clarè exprimitur diſcurrendi, ſicut ſentiendi principium, vel non ita concipitur animal in ordine ad diſcurſum, ſicut in ordine ad ſenſationẽ, vel tãdem non ita diſtinguitur animal in hominem, & bruta, ſicut à rebus inanimatis, & tamen ordo ad hunc, & illum effectum, nec non diſtinctiuum ab hoc, & illo termino, eſt eadem realis entitas.

5 At directè reſpondemus non ſequi eandem entitatem quæ realiter tantùm ſimplex eſt, virtualiter autem multiplex, cognoſci, & non cognoſci, ſub eadem omninò ratione, ſed ſub diuerſis, & per varias ſpecies, à varijs effectibus abſtractas, quarum quęuis, cum non ſit immediata, nec adęquet totam perfectionem obiecti, non eſt apta nata totum obiectũ cum omnibus ſuis prędicatis indiuiſibiliter reprę ſentare, ſed eam formalitatem dumtaxat, quę illi effectui, vel alteri connotato ſufficienter correſpondet, per cuius ſpeciem, vti per alienam, & inadęquatam ſimilitudinem obiectum cognoſcitur.

16 Vniuerſale propriè dictum vniuocum eſſe debet reſpectu ſuorum inferiorum, quia debet eſſe ſimpliciter, & abſolutè vnum, hoc eſt non ſecundùm nomen tantùm, ſed etiam ſecundùm rationem per nomen importatam: differt à prędicabili

Digitized by Google

bili, ſicut eſſentia à paſſione; primum enim quod intelligimus ineſſe vniuerſali, eſt poſſe eſſe in multis, ex quo deinde conſequitur poſſe de illis prædicari; immò ad hoc ſecundùm vlterius requiritur cognitio comparatiua, qua natura præciſa cum ſuis inferioribus conferatur: Quòuſq; enim natura non apprehenditur eſſe in multis, non eſt proximè apta de ijs prædicari. Verum tamen eſt vniuerſale à Logico præſertim conſiderari ſub ratione prædicabilis, in ordine ad ſuas propoſitiones faciendas, quarum prædicatum ferè ſemper eſt terminus aliquis communis: & ideò poteſt dici prædicabilitatem ad vniuerſalis Logici eſſentiam pertinere.

17 Vniuerſale, ſeu prædicabile ſatis appoſitè diuiditur in quinque prædica bilia de quibus vniuocè prędicatur, Genus nimirum, ſpeciem, Differentiam; Proprium, & accidens, iuxtà quintuplicem modum, quo prædicatum aliquod commune poteſt de ſuis ſubiectis in propoſitionibus affirmari, vel enim prædicatur eſſentialiter, vel accidentaliter: Si eſſentialiter, vel tanquam tota eſſentia, & erit ſpecies, vel vti pars eius, eritque genus, vel differentia, prout pars affirmata eſt communis, vel propria, ſeu ſpecifica: Si verò prædicatum ſit accidens ſubiecti, vel emanat ab eius eſſentia, cum qua naturalem habeat connexionem, & eſt proprium, vel non ita emanat, ſed omninò contingenter ſe habet ad illam, & quintum prædicabile, quod antonomaſticè dicitur accidens reſultabit.

18 Omnes prędicabilium definitiones à Porphyrio traditas, tãquam bonas recipimus. Quare genus eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, nempe eſſentialiter incompletè, & per modum termini ſubſtantiui, ſeu per ſe ſtantis; cuius definitionis definitum, neque eſt ſola natura, neque ſecunda intentio dumtaxat, ſed natura, vt affecta ſecunda intentione, ita vt quod directè, & per ſe definitur ſit natura: Secũda verò intentio ſit ratio formalis, ſeu conditio ſub quà, quia non niſi natura, vt eſt in ſtatu præciſionis, poteſt de inferioribus prædicari.

19 Differentia eſt, quæ diuidit genus in ſuas ſpecies, & vna cum genere ſpeciem conſtituit, & quatenus vniuerſale, ſeu prædicabile quoddam eſt, rectè ſic deſcribitur, differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus ſpecie, vel numero differentibus in quale quid, hoc eſt tanquam aliquid eſſentiale proprium generi adueniens, cui concipitur quaſi adiacere, vnde & prædicatur per modum termini adiectiui; cum enim rei

cu-

Digitized by Google

cuiuſque eſſentia per rationem componatur ex duplici gradu genere ſcilicet, & differentia, non poſſunt intelligi huiuſmodi gradus quaſi vniri, niſi vnus alteri adiaceat. Et quidem gradus præiacens dicitur genus, quod proindè concipitur per modum per ſe ſtantis: Gradus autem adiacens, differentia nuncupatur.

20 Gradus genericus, & differentialis ſpectati in eodem indiuiduo, ex natura rei non diſtinguntur; tum quia idem eſt principiũ conſtitutiuum, & diſtinctiuum: Tum quia nulla eſt neceſſitas realiter diſtinguendi hos gradus, immò nulla eſt res adeo ſimplex, quæ ſi cum alijs rebus conferatur, magis, vel minus cum ijs conuenire, vel ab ijſdem diſcrepare, non deprehendatur. Diſtinguntur tamen per rationem, ita vt omne genus à differentijs obiectiuè præſcindat, aliàs non poſſet verè de inferioribus affirmari, vt ſupra probatum eſt.

21 Ex genere, & differentia conſtituitur ſpecies, ſicut naturale corpus ex materia, & forma, non quòd genus deſumatur à ſola materia, & differentia à forma, ſed ob quandam proportionem in noſtris conceptibus fundatam, quatenus nimirum genus abſtrahitur à tota eſſentia, conſiderata per modum cuiuſdam gradus communis, potentialis & indifferentis ad conſtituendam hanc, vel illam ſpeciem; Differentia verò concipitur per modum cuiuſdam gradus determinati, qui per hoc, quòd coniungitur cum tali genere, intelligitur reſtringere illud, & coarctare ad talem ſpeciem Porrò ſpecies, & reſpicit genus cui ſubijcitur, ac veluti ſpeciem, venuſtatemque addit, & inferiora, de quibus prædicatur: ſub primo reſpectu rectè dicitur, ſpeciem eſſe, quæ ſub aſſignato genere collocatur: Quatenus verò dicit ordinem ad inferiora, ſub qua tantùm habitudine habet rationem vniuerſalis, ſeu prædicabilis, ſpecies eſt, quę prædicatur de pluribus differentibus numero in quod quid. Inferiora ſpeciei ſunt indiuidua: Indiuiduum verò eſt, quòd de vno ſolùm prædicatur, nempe ens quoddam ita vnum, vt non poſſit pluribus communicari, vnde & dicitur ſingulare.

22 Genus rectè diuiditur in ſummum, medium, & infimum: Species pariter, immò, & differentia diuidi poteſt in ſubalternam, & atomam Genus ſummum, ſeu generaliſſimum, eſt tantùm genus, & nullo modo ſpecies: E contra ſpecies atoma eſt tantùm ſpecies, & nulla ratione genus: At genera media,

Digitized by Google

media, & ſpecies ſubalternę ita ſunt ſpecies reſpectu ſuperioris generis, quod contrahunt,vt cum non vltimatè diuidant, ſed relinquant vlteriùs contrahibile per alias differentias ad inferiores ſpecies, harum reſpectu, propriam, ac veram rationem generis obtineant. Cœterum tam genus in unica ſpecie, quam ſpecies in vnico indiuiduo, quòad ſuam metaphyſicam eſſentiam ſeruantur, immò etiam quòad vniuerſalitatem, dummodò aliæ ſpecies, & indiuidua ſint poſſibilia; hoc enim ſicut omninò requiritur, ita ſatis eſt ad hoc, vt gradus abſtracti,de pluribus valeant affirmari: Neque enim ad veritatem propoſitionis eſſentialis, cuiuſmodi eſt prædicatio generis, vel ſpeciei de ſuis inferioribus, requiritur actualis exiſtentia ſubiecti, & prædicati, nam cum dicitur homo eſt animal, illud eſt, non ſignificat exiſtentiam extremorum, ſed ſolùm prædicati, cum ſubiecto neceſſariam connexionem Quòad perfectionem tamen,quàm genus accipit à ſpeciebus,in vna tantùm ſpecie certè conſeruari non poteſt.

23 Proprium multis modis accipitur, proprijſſimè tamen, & quarto modo ſumptum eſt, quod conuenit omni, ſoli, & ſemper, ac proindè conuertitur cum eo cuius eſt proprium; vnde prout eſt quartum prædicabile definiri poteſt eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpecie, vel numero differentibus, in quale accidentale neceſſariò: Accidens verò non ineptè dicitur illud eſſe, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem, nempè quòd ita ineſt ſubiecto, vt etiam ſi non inſit,nec exigatur à ſubiecto, huius adhuc tota eſſentia manet;& ideò, quatenus eſt quintum prędicabile, poteſt definiri eſſe id quod prædicatur de pluribus ſpecie, vel numero differentibus in quale contingenter. Et per hæc patet quiſnam ſit modus in prædicatione ſeruandus, ſeu quænam prædicata, & quomodò de ſubiectis affirmari debeant.

DE

Digitized by Google

DE PRAEDICAMENTIS.

24 CVM Vniuerſa Logica hunc ſibi propoſuerit finem; vt tradat modum rectè cognoſcendi res, manifeſtum eſt res omnes, non quidem ſecundùm propriam earum naturam, vt ſic enim ad alias ſcientias pertinent, ſed quatenus poſſunt in propoſitionibus, diuerſimodè ſubijci, vel prædicari, Logicæ conſiderationis eſſe: Et ideò iure meritò Philoſophus in ſuo organo res omnes in decem diuidit prædicamenta, quæ ſunt decem ſeries multorum prædicabilium, & ſubijcibilium, ſeu generum, & ſpecierum ſub totidem ſummis generibus coordinatæ Decem verò ſumma genera, ſeu prædicamentorum capita ſunt, ſubſtantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, paſſio, vbi, quando, ſitus, habere. Et licet potuiſſent aliter prædicamenta diſtribui, huiuſmodi tamen diuiſio ſatis commoda, & opportuna fuit: ad hæc enim ſumma rerum genera facilè, & ſine confuſione omnia, quæ ſunt in mundo reducuntur.

25 Genera prædicamentorum, vniuoca eſſe debent reſpectu ſuorum inferiorum, non æquiuoca, vel analoga. Porrò æquiuoca ſunt, quorum nomen ſolùm commune eſt, ſecundùm nomen verò ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ ratio diuerſa: Vniuoca verò, quorum nomen commune eſt, & ſecundùm nomen eadem ſubſtantiæ ratio. At Analoga dicuntur, quorum eſt commune nomen, ratio verò per illud importata, partim eadem, partim diuerſa, ſeu eadem ſecundùm terminum, & diuerſa penes ordinem, & habitudinem ad illum terminum, ſi ſit analogia attributionis vel eadem ſecundùm quandam valdè imperfectam ſimilitudinem, & conuenientiam, ſi ſit analog a proportionis, quibus definitionibus, nec definiuntur res ſeorſim, nec voces, vtpotè de ſe indifferentes, vt ſint vniuocę, vel æquiuocæ, ſed res ipſæ, vt ſubſtant vocibus, ſeu quatenus ſignificantur per voces. *In præd. c. 1*

26 Igitur genera prædicamentorum oportere eſſe vniuoca, ex eo patet, quia vt ſint vera genera debent ſignificare vnam aliquam rationem communem de pluribus prædicabilem, & ideò decem ſumma genera dicuntur prima, quamuis habeāt ſuprà ſe ens, quia hoc ſcilicet non eſt verùm genus, cum ſit analogum. Tribus modis poteſt res aliqua in prædicamento

to

Digitized by Google

to poni, directè, à latere, & reductiuè. Linea recta prædicamenti eſt coordinatio prædicabilium ſub aliquo primogenere, quod de illis directè, & in quid prædicatur: & in hac linea per ſe, & directè collocantur ſolùm entia per ſe, & completa, quæ melius exprimuntur nominibus concretis, quàm abſtractis. A Latere ordinantur differentiæ ſpecierum: Denique reductiuè, & per aliud, ea omnia in prædicamentis ponuntur, quæ aliquo modo intrinſecè ſpectant ad illud, quod per ſe, & directè in prædicamento collocatur.

27 Subſtantia, vt hic accipitur, eſt ens completum per ſe ſubſiſtens, cui cętera accidentia inhærent. Eius proprietates, ex quibus dignoſcitur, ſunt nulli ſubiecto inhærere, non habere contrarium, non ſuſcipere magis, & minus, ſubſtare accidentibus, & eſſe contrariorum ſuſceptiuam, quæ duæ poſtremæ affectiones cum Deo non conueniant, qui neque componitur ex genere, & differentia, vtpotè puriſſimus actus, eſſentialiter infinitus, & ſingularis, idcircò Deus in ſubſtantię prædicamento poni non debet, ſiue directè, & per ſe, ſiuè reductiuè, nec in ordinem redigi cum ſuis creaturis, ſed omnia potiùs prædicamenta ad ipſum, tanquam ad primum principium, & vltimum finem ſunt reducenda. E contra tam cœli, quàm intelligentiæ in hoc prædicamento directè collocantur: Omnes enim creatę ſubſtantiæ in hoc vniuocè conueniunt, quòd ſunt ſubſtantiæ perfectæ, in ſe ipſis ſubſiſtentes, veluti quædam tota completa; & ſingulas ſubſtantiæ proprietates ex æquo participant.

28 Quantitas eſt extenſio quædam diuiſibilis: diuiditur in permanentem, & ſucceſſiuam: Et iterum in diſcretam, & continuam, & tandem quantitas continua permanens, quæ propriiſſimè eſt quantitas, diuidi poteſt in lineam, ſuperficiem, & corpus. Proprietates quantitatis ſunt non habere contrarium, non ſuſcipere magis, & minus ſecundùm intentionem, æqualitas, vel inæqualitas, & ſi ſit quantitas magnitudinis, habere poſitionem partium, figuram, facere rem diuiſibilem, & alia huiuſmodi.

29 Relatio eſt ordo vnius ad aliud, & hæc alia eſt realis, alia rationis, vnde alia ſunt relatiua ſecundùm eſſe, alia ſecundùm dici: Illa verè et realiter referuntur ad aliud, vt pater, & filius, hæc ſolo nomine, & per intellectum, vt prædicatum, ad ſubiectum. Rurſus relatio realis, alia eſt tranſcendentalis, & alia predicamentalis: Illa eſt habitudo, & ordo eſſentialis incluſus in rebus omnium prędicamentorum, vt relatio dependen-

Digitized by Google

pendentiæ creaturæ à Deo: Hæc verò eſt quædam peculiaris habitudo vnius rei ad aliam; quæ conſtituit hoc peculiare prędicamentũ, vtpotè ſpeciale accidens, rei quæ refertur contingenter aduenićs cuius totũ eſſe eſt ad aliud ſe habere, vt ſimilitudo, paternitas, & huiuſmodi. Relatiua alia ſunt mutua, vt pater, & filius, alia non mutua, vt ſcientia, & obiectũ Cæterum triplex genus prędicamẽtaliũ relationũ, rectè à philoſopho aſſignatur iuxtà triplex fundamentũ ex quo poſſunt conſurgere: Nam aliæ fundãtur in vnitate, & numerò, aliæ in actione, & paſſione, alię in ratione menſuræ, & menſurabilis. Præcipuę relatiuorum proprietates ſunt dici ad conuertentiam, & eſſe ſimul natura, & cognitione.

30 Qualitas eſt, ſecundùm quàm quales quidam eſſe dicuntur, ſeu à qua ſubſtantia, talis, vel talis denominatur, & ſpeciali quodam modo diſponitur, & accidentaliter perficitur: Eius quatuor ſunt ſpecies ſubalternæ, nempè habitus, & diſpoſitio, naturalis potentia, & impotentia, paſſio, & paſſibilis qualitas forma, & figura: proprietates verò ſunt, habere contrarium, ſuſcipere magis, & minus, & ſecundùm eam res dici ſimiles, vel diſſimiles. Actio eſt actus agentis, ſeu eſt id, per quod formaliter cauſa agere dicitur, vt calefactio. Paſſio eſt actus patientis, ſeu eſt, id ex cuius impreſſione ſubiectum dicitur pati, & nunquam poteſt ab actione diuelli. Vbi eſt circumſcriptio corporis à circumſcriptione loci proueniens, ſeu eſt eſſe in tali, vel tali loco. Prædicamentum quando eſt duratio rei in tali tempore, id nimirum vì cuius formaliter dicimur eſſe in tali, vel tali tempore. Situs eſt diſpoſitio partium corporis locati in ordine ad partes loci, ratione cuius dicitur, vel ſedere, vel ſtare, aut alias huiuſmodi denominationes habet. Habitus denique eſt denominatio quædam, quæ reſultat in corpore, ex re ſibi adiacente, vt eſſe veſtitum armatum, & huiuſmodi. Et hæc obiter, & curſim de prædicamentis dixiſſe, quantum ad generalem quandam terminorum notitiam ſufficit, Logicæ ſatis eſt, nam ſingulorum prædicamentorum naturam diſtinctiũs inquirere, ad Phyſicam, & Metaphyſicam ſpectat.

DE ENVNCIATIONE.

31 ENunciatio eſt oratio, in qua aliquid de aliquo affirmatur, vel negatur, & hæc triplex eſt, vocalis, mentalis, & ſcripta. Vocalis conſtat ex vocibus, quarũ plures, & ſi non temerè, & caſu, ſed rationabili cauſa fue- 6. 1.
rint à ſapiẽtibus impoſitæ, ſimpliciter tamen, & abſolutè ſigni- 1. pier. c. 1.

Digitized by Google

ficant ad hominum placitum, & non ex natura ſua; vt enim benè diſcurrit Ariſtoteles, quæ ſunt à natura, eiuſdem rationis ſunt apud omnes gentes, non ſic autem ſe habent voces, ſed eadem res diuerſis nominibus à diuerſis nationibus appellatur, & eadem vox in diuerſis linguarum generibus diuerſiſſima ſignificat; immò ſæpè in vno ſignificat, & in alio non; & nullum prædicatum intrinſecum habent in ſe voces articulatę, quibus in ſermone vtimur, vi cuius ſint determinatæ ad hanc potiùs rem ſignificandam, quàm aliam.

32 Sunt autem voces ſigna ad placitum tum rerum, tum conceptuum, in vtrorumque enim cognitionem nos ducunt, primò tamen, & principaliter ſignificant res ipſas, ſeu conceptus obiectiuos, formales verò, ſeu actus noſtri intellectus, nonniſi mediatè, & ſecundariò, nam ad hos directè exprimendos per modum tamen obiecti non deſunt ſuæ voces, nempè conceptus, cognitio, notitia, & huiuſmodi; aliæ verò voces, puta homo, bos &c. ab authore linguæ deſignatæ ſunt ad exprimendum ipſum hominem, ipſum equum &c. quia enim fieri non poteſt, vt res ipſas ferentes diſputemus, ideo nominibus pro rebus vtimur tanquam ſignis; Quod de vocibus dictum eſt, proportionaliter aſſerimus de enunciatione ſcripta, ſeu de ſcriptura, quæ ad placitum ſignificat, immediatè quidem ipſas voces, vltimatè verò, & principaliter conceptus obiectiuos.

1. Perih. c. 1.

33 Enunciatio verò mentalis, ſiuè iudicium, eſt cognitio, qua aliquid de aliquo determinatè affirmatur, vel negatur. non cōſiſtit in duplici, vel triplici actu, ſed eſt vna ſimplex cognitio, quæ hoc ipſo, quod determinatè attingit copulam, hoc eſt vnionem, & identitatem prædicati cum ſubiecto, vt animalis cum homine, formaliſſimè cognoſcit, ac determinatè repræſentat extrema vnita inter ſe, nempè hominem eſſe animal, ac proindè in ea tota enunciationis eſſentia ſita eſt; diſtinctis ſubiecti, & prędicati apprehenſionibus ſolùm præſuppoſitiuè ſe habentibus. Quare dum mentalis propoſitio componi dicitur ex prædicato, & ſubiecto, huiuſmodi compoſitio intelligi debet ex parte obiecti, non verò ex parte actus.

34 Diuiditur enunciatio in affirmatiuam, & negatiuam: Illa eſt quæ affirmat, hæc quæ negat prædicatum de ſubiecto, & rurſus tam affirmatiua, quàm negatiua propoſitio diuiditur in verā, & falſam. Propoſitio vera eſt, quæ repræſentat obiectum ſicut eſt in ſe, falſa quæ aliter, ac in ſe eſt. Cęterū veritas, & falſitas, nō eſt prędicatum adęquatè intrinſecum ipſi cognitioni, ſed partim intrinſecum, & partim extrinſecum, duo enim in ſuo conceptu

ceptu inuoluit, nempè talem repræſentationem tali cognitioni eſſentialem, et vlteriùs, obiectum ita in ſe exiſtere, vel non exiſtere, ſicut repræſentatur.

35 Idem numero actus, et propoſitio contingens de preſenti, puta hæc, Petrus currit, per horam continuata, cum poſſit currente Petro, & poſteà non currente, modo habere conformitatem; modo difformitatem cum ſuo obiecto, poteſt etiam de vera in falſam mutari. Veritas propria, & complexa, iudicio tantùm conuenit, ſimplici verò appræhenſioni, quæ eſt cognitio, qua aliquid ſimpliciter cognoſcitur, abſque determinato iudicio, & ſi aliqua ſimplex, & incomplexa veritas competere valeat, non tamen falſitas, quia ſcilicet non tendit in rem quoad an eſt, ſed ſolùm quoad quid eſt: ac veluti quoad ſignificatum vocis, quòd exprimit, nunquam determinando an ſit, vel nõ ſit.

DE SYLLOGISMO IN COMMVNI.

36 SYllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quid à poſitis neceſſe eſt cõtingere, eo quòd hæc ſint. Eſt vera, ac propria argumentatio, ac formalis diſcurſus: Immò (quidquid ſit in voce) in mente certè vix alia poteſt admitti ratiocinatio preter ſyllogiſmum: Quia non poſſunt duo extrema concluſionis inferri vnita inter ſe, quin priùs per duplex iudicium, vel (quod tamen rarò contingit) per vnum duobus æquiualens, iudicentur vnita cum medio. Ad ſyllogiſmum, ſiuè diſcurſum formalem, neceſſariò requiruntur plures cognitiones, ex quarum vna ſaltem, altera inferatur, quia omnis formalis diſcurſus eſt quidam veluti motus, & curſus mentis, quò ex cognitione vnius deuenit in cognitionem alterius; neque alia eſt differentia inter formalem, & virtualem diſcurſum, niſi hęc, quòd ille eſt progreſſio ab vna cognitione ad aliam, hic verò eſt progreſſus eiuſdem actus ab vno obiecto in aliud.

1.pr.c.1.

37 Si accipiatur ſyllogiſmus prout præciſè ſignificat tertiam intellectus operationem, diſtinctam à reliquis, tota eius eſſentia ſita eſt in concluſione: Hęc ſiquidem ſola, eſt actus ille ſimplex, ac eſſentialiter diuerſus ab apprehenſione, & iudicio, qui tertia intellectus operatio nuncupatur: Si verò ſumatur cõpletè, & adæquatè, prout eſt progreſſio intellectus ab vna no-

Digitized by Google

titia ad aliam, ſeu prout eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quid à poſitis &c. iam vt ſic, in ſui ratione intrinſeca, tum præmiſſas, tum concluſionem eſſentialiter includit.

38 Syllogiſmus conſtat ſuo modo materia, & forma: materia ſyllogiſmi, alia remota, nempe tres termini, maior ſcilicet, & minor extremitas, ſeu prædicatum, & ſubiectum quæſtionis, & medius terminus; alia proxima, nempe tres propoſitiones, maior ſcilicet, quæ conſtat prædicato quæſiti, & medio termino: Minor quæ ex eodem medio, & quæſtionis ſubiecto conflatur, ac demum concluſio duobus conſtans extremis, quæ ex eo inferuntur vnita inter ſe, quòd fuerint in præmiſſis vnita cum medio. Forma verò ſyllogiſtica eſt medii cum extremis ad aliquid concludendum apta collocatio, ſecundùm ſubiectionem, aut prædicationem, ac debitam qualitatem, & quantitatem propoſitionum, ſeu breuiùs ſecundùm figuram, & modum.

39 Figuræ ſyllogiſmorum tres ſunt, modi vndeviginti; quinque autē modi figuræ Galeni, planè coincidunt cum totidem modis indirectis primæ figuræ, qui ſi directè concluderent, potuiſſent quidem pro quarta figura reponi; attamen re vera cum non niſi innaturalem, & veluti violentam concluſionem extorqueant, ideoque fere nunquam vſu veniant, congruentiùs à philoſopho ad primam figuram ſunt reuocati. Forma ſyllogiſtica, ſi ſumatur formaliter pro rectitudine ſyllogiſmi formalis, eſt eſſentialis perfectio eorum actuum, in quibus diſcurſus conſiſtit, cognitio enim per ſuam eſſentiam, hoc de illo, vel illud de hoc, vniuerſaliter, vel ex parte affirmat, aut negat: Si verò ſumatur obiectiuè ſupra res cognitas, ex quibus ſyllogiſmus obiectiuus conſtare dicitur, addit varias ſecundas intentiones, & entia rationis logica, ſeu talem modum cognoſcendi, per tales propoſitiones, & iudicia, per quæ in ratione ſubiecti, prædicati, medij termini, & huiuſmodi, veluti extrinſecè ordinantur.

40 Concluſio à præmiſſis, cum ſit actus planè diſtinctus, non pēdet in genere cauſæ materialis, vel formalis, ſed in genere cauſæ efficientis, tanquam à ratione, ſeu diſpoſitione agendi, quatenus eſt talis naturæ, vt non poſſit ab intellectu elici, niſi determinetur, & illuminetur à præmiſſis. Et ideo in eodem inſtanti temporis in quò elicitur concluſio, debent actu exiſtere præmiſſę, quia ſunt motiuum, & ratio formalis, à qua tunc mouetur intellectus ad concluſionē, quæ nō eſt per ſe nota.

41 Ad inferendam concluſionem præter præmiſſas requiritur cognitio apprehenſiua de bonitate obiectiuę illationis, quæ ſi penitus lateat, nihil poterit inferri; nam præmiſſę euidentes non
ſolùm

Digitized by Google

ſolùm excitãt apprehẽſionẽ de obiecto cõcluſionis:ſedetiã de cõnexione eiuſdẽ cũ præmiſſarũ obiecto,quia totũ illud debet apprehẽdi, quod iudicatur: actus autẽ cõcluſionis nõ ſolũ directè, explicitè,& vt quod attingit ſuũ materiale obiectũ, ſed etiã implicitè, & vt quo, tãquã motiuũ, & rationem formalẽ aſsẽtiẽdi attingit obiectum præmiſſarum,eiuſque connexionem cum proprio materiali obiecto quod directè iudicat. Et ſanè illa particula ergo quę ponitur in argumentatione vocali ad mentalem diſcurſum exprimendum, non ſolùm dependentiam formalem actus ab actu, ſed etiam connexionem obiecti cum obiecto,quæ obiectiuè aliquo modo attingatur, omnino ſignificare videtur, alioquin, præter alia multa abſurda, ſcientia perfectiſſima, & à priori, ex parte rei cognitæ non differret à ſcientia imperfecta, & à poſteriori de eodem materiali obiecto, nec cognoſceret rem per propriam cauſam à ſe cognitam.

42 Suppoſito aſſenſu præmiſſarum, & cognitione de bonitate illationis, non poteſt intellectus concluſioni diſſentiri,alioquin diſſentiretur vero, vt vero, & aſſentiretur falſo, vt falſo, quod manifeſtè repugnat. Immò cum intellectus ſit cauſa neceſſaria, & naturaliter operans, quę poſitis omnibus requiſitis neceſſariò operatur, determinatur etiam quoad exercitium ad aſſentiendũ veritati ſufficienter propoſitæ, ſaltem niſi à voluntate impediatur, vt certè poteſt impediri. Quoad actus verò obſcuros, & formidoloſos, cum de sè non ſit ſufficienter determinatus, ſed habeat paſſiuam quãdam indifferentiam, non vero actiuam, & dominatiuã,neque enim eſt potẽtia formaliter libera,vt volũtas, debet omnino à voluntate determinari, cuius imperio ſubiacet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE SYLLOGISMO
DEMONSTRATIVO, ET SCIENTIA.

43 PERFECTISSIMA ſyllogiſmi ſpecies demõſtratio, 1.poſt.c.2. eſt ſyllogiſmus faciens ſcire,ſeu ex veris, certis, & euidentibus præmiſſis,certã,& euidentem concluſionẽ inferens in quò differt tum à ſyllogiſmo probabili, qui ex principijs probabilibus, probabilẽ ſolùm concluſionem colligit, tum à ſophiſtico, & Pſeudographo, qui ex propoſitionibus tantùm apparentibus, errorem, & deceptionem cauſat. Syllogiſmus demonſtratiuus in duas ſpecies eſſentialiter diuerſas primò, & adæquate diuiditur, nempe in demonſtrationem quia, & propter quid; à qua

demon-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

demonſtratio potiſſima Auerrois minimè diſtinguitur, cum ſit impoſſibile per aliquam demonſtrationem oſtendi propter quid res ſit, ſeu veram, & propriam cauſam, ob quam prædicatum quæſiti ſubiecto conuenit, quin hoc ipſo oſtendatur, quod res ſit ob talem cauſam. Antequam compleatur demonſtratio, tria debent eſſe præcognita, ſubiectum nimirum quæſtionis, paſſio demonſtranda, & principia, per quæ demõſtrari debet: duas verò præcognitiones habere oportet, an ſit, & quid nominis; nam de ſubiecto vtrumque pręcognoſci debet, de paſſione quid nominis tantùm, at de principijs præcognoſcendum eſt, an ſint vera, vt fusè proſequitur philoſophus, & ſatis de sè patet.

1.poſt. c.1.

44 Pręmiſſę demonſtrationis debent eſſe veræ, nam tota veritas concluſionis ab ijs pendet: Primæ item & immediatæ, vel formaliter, vel virtualiter, ne in progreſſu cognoſcendi detur proceſſus in infinitum, & ita omnis ſcientia, è medio tollatur. Pariter eſſe debent priores, & notiores, hoc eſt perfectiori modo certæ, & euidentes, quam concluſio, cum ſint cauſæ totius certitudinis, & euidentiæ concluſionis, & propter quod vnũquodque tale, & illud magis; rurſus oportet præmiſſas, & procedere ex cauſis, vel eſſendi, vel cognoſcendi, vt conſtat, & eſſe neceſſarias, ac proindè de omni, & per ſe, vt neceſſariam concluſionem inferre valeant. Præmiſſæ verò demonſtrationis propter quid procedere debent ex proprijs, & ex cauſa eſſendi actuali, ſi adſit, vel virtuali, adæquata, & conuertibili cum paſſione demonſtrata; demonſtratio enim propter quid perfectam rei cognitionem gignit in intellectu, res autem habens cauſam, tunc ſolùm perfectè cognoſcitur, cum per ſuam cauſam propriam demonſtratur, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita, & ad perfectè cognoſci. Illa verò demonſtratio propter quid, quæ potiſſima à Peripateticis appellatur, debet vlterius conſtare ex prędicato vniuerſali ſecundùm quod ipſum, & primò, huius enim demonſtrationis præmiſſæ debent eſſe in ſummo neceſſitatis gradu.

1.poſt. c.2.

45 Quodlibet genus cauſæ, modò hæc ſit adequata, & conuertibilis, eſſe poteſt medium in demonſtratione propter quid; medium tamen demonſtrationis potiſſimæ, in qua ſcilicet prima paſſio demonſtratur de ſuo ſubiecto, non eſt definitio eſſentialis paſſionis demonſtratæ, ſed ſubiecti, prima enim paſſio nullam aliam habet cauſam proximam, & adæquatam, quàm ipſam eſſentiam, & definitionem ſubiecti, à quà ſola primò emanat, ac proindè per ipſam eſt demonſtranda. Regreſſus demõſtratiuus, ſeu reciprocata quędam demonſtratio, qua poſtquam

cauſam

Digitized by Google

cauſam ignotam ex effectu noto demonſtrauimus, cauſa deindè aliundè meliùs cognita, regredimur ad effectum demonſtrandum, vt ſciamus propter quid effectus, non modò impoſſibilis non eſt, ſed etiam vtilis, ac ferè neceſſaria in ſcientijs, & valdè differt à circulo nugaci, qui in mente locum non habet, vt facilè cuique poteſt eſſe manifeſtum.

46 Demonſtratio quia, quæ etiam à poſteriori dicitur, eò quòd vt plurimùm procedit ab effectu ad cauſam, eſt vera demonſtratio, vtpotè ex certis, & euidentibus præmiſſis, generans certam, & euidentem cognitionem, eſſentialiter tamen ignobilior demõſtratione propter quid, ſeu à priori, quia facit tantùm ſcire, quòd res ſit, cum tamen demonſtratio propter quid faciat etiã ſcire propter quid res ſit, propriam rei cauſam manifeſtando. Triplex eſt, nam alia eſt demonſtratio ab effectu, alia à concomitantibus, alia à cauſa remota, inadęquata, & inconuertibili, ex qua cum non inferatur effectus, tanquam ex cauſa propria, & per sè, ſed vti ex eo, in quò veluti materialiter reperitur propria cauſa effectus, idcirco illatio ex tali cauſa, non oſtendit propter quid effectus, ſed ſolùm quòd effectus alteri reuera conueniat.

47 Immediatus demonſtrationis effectus eſt ſcientia actualis, quæ eſt ipſa formalis concluſio demonſtrationis, & definitur cognitio certa, & euidens rei neceſſarię, illata per diſcurſum. Scientia vero perfectiſſima rectè dicitur *cognitio*, determinata ſcilicet, & iudicatiua *certa, & euidens rei neceſſaria per propriam cauſam*, hoc eſt per demonſtrationem propter quid comparata, ad differentiam tum notitiæ primorum principiorum, quæ immediatè, & ex terminis cognoſcuntur, tum ſcientiæ minùs perfectæ, quæ gignitur per demonſtrationem quia, tum opinionis & fidei humanæ intrinſecè formidoloſæ, tum fidei diuinæ eſſentialiter obſcuræ: Dari autem huiuſmodi ſcientiam patet tum in mathematica, omnes ſuas concluſiones euidenter demonſtrante, tum in phyſica, & alia quauis totali ſcientia, quę plures veritates euidenter demonſtrat.

48 Radicalis formido, eſt quidem de eſſentia opinionis, & fidei humanę, vndè rectè in hoc ſenſu dicitur opinio, adhęſio intellectus ad vnam partem, vel ex terminis, vel ob medium probabile, cum formidine alterius; non tamen actualis; vndè nihil prohibet eundem intellectum, per diuerſa media, vnum ſcilicet neceſſarium, & alterum probabile, poſſe ſimul elicere aſſenſũ ſcientificum, & opinatiuum, vel fidei humanæ; huiuſmodi enim actus, quemadmodum, nec eorum habitus, nullam ad inuicem propriam oppoſitionem habent.

Ex

Digitized by Google

49 Ex actibus ſcientificis in vnaquaque ſcientia frequentatis gignitur ſcientia habitualis realiter, & eſſentialiter diſtincta ab habitu principiorum, cum producatur per actus planè diuerſos. Vna totalis ſcientia non eſt ſimplex aliqua qualitas, ſed coaleſcit ex tot habitibus, quot in ea ſunt actus ſpecie differentes; diuerſi enim actus gignunt diuerſos habitus, qui ad actus ſimiles ſolùm ijs, à quibus geniti ſunt, facilem, & expeditam potentiam reddunt, vt experientia docet. Quarè vnitas ſcientię totalis, tàm actualis, quàm habitualis, eſt vnitas ordinis, & aggregationis multorum partialium habituum, & actuum, tendentium in diuerſa quidem obiecta, ſed quę tamen conueniunt in aliqua ratione formali, ex qua deſumuntur cuiuſuis ſcientię propria principia, ſub quibus reliqui ſcientifici actus aliquo modo continentur; & ideò diſtinguntur ſcientię totales penes diuerſa obiecta formalia, quæ licèt abſolutè potuiſſent ampliora, vel reſtrictiora aſſignari, de facto tamen à diſciplinarum principibus ſatis congruè vnicuique ſcientię ſunt attributa.

50 Inter aliquas ſcientias, vt perſpectiuam, & Geometriam, muſicam, & Arithmeticam, datur propria ſubalternatio, ad quam duo requiruntur, nimirum vt ſubalternata ſcientia, principia ſua à ſubalternante recipiat, in qua poſitiuè, & à priori demonſtrentur, adeò vt, vbi hæc deſinit, illa incipiat, & præterea vt obiecto ſubalternantis differentiam aliquam accidentalem ſuper addat. Hinc verò fit nullam ſcientiam propriè ſubalternari metaphyſicæ, nam licèt hæc aliarum ſcientiarum negantes principia redarguat, id tamen non facit oſtenſiuè, & à priori, ſed per demonſtrationem reducentem ad impoſſibile, ex quo non impeditur, quò minùs cuiuslibet ſcientiæ principia intellectui ſano per ſè euidentia ſint.

EX

Digitized by Google

S.80.3.3.

EX NATVRALI PHILOSOPHIA.

DE RERVM NATVRALIVM PRINCIPIIS.

51 PHILOSOPHIA naturalis, eſt ſciẽtia rerũ naturaliũ cõtẽplatrix: eius proinde adæquatũ attributionis obiectum nõ eſt aliquid Deo, ac intelligentijs cõmune, vel minus latè patens, quàm ſubſtãtia corporea naturalis; ſed eſt ipſum corpus naturale de prædicamento ſubſtantiæ: Cuius conficiẽdi, cum nulla tradat præcepta, ſed eius principia, & affectiones præciſè conſideret, adæquatè ſpeculatiua cenſeri debet. Et quamuis negandum non ſit quoad plurimas Theſes de quibus hinc inde diſputatur eſſe habitũ opinatiuum, nihilominus cum præcipuas ſuas cõcluſiones ex proprijs principijs certò, & euidẽter demõſtret, inter proprijſſimas ſcientias Phyſica non immeritò locũ obtinet.

52 Principia rerum naturalium, alia ſunt extrinſeca, alia intrinſeca. Extrinſeca ſunt, à quibus procedunt, & quorum gratia fiunt, vt efficiens, & finis. Prima verò intrinſeca principia dicuntur, *quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, ſed ex his omnia ſunt, vel fiunt:* Conſtat enim corpora ſublunaria, 1. Phyſ. tt 42. identidem certa quadam ratione gigni, & corrumpi, ac proinde ab efficiente propter finem operante pendere: Et rurſus nunquam fieri ſine reali tranſmutatione ſubiecti, quod ab extrinſeco generante traducatur ab vno ſtatu, ad alium, & conſequenter eſſe non poſſe ſubſtantialiter ſimplicia, ſed ex pluribus partibus materia ſcilicet, & forma eſſentiali neceſſitate coaleſcere, quæ proinde rei abſolutè, & in ſe ſpectatæ intrinſeca principia meritò cenſentur.

53 Sed quoniam hanc eſſentialem, & intrinſecam corporum naturalium ex pluribus principijs conſtitutionem nõniſi poſt habitum naturalis tranſmutationis quidditatiuum conceptũ philoſophi dignoſcere potuerunt, idcircò in aſſignandis rerũ naturalium in fieri, ſeu ipſius tranſmutationis principijs pri-

Digitized by Google

mam ſollicitudinem ſapienter collocarunt. Porrò eſt impoſſibile intelligere mutationem, quin concipiatur ſubiectum aliquod mutari, ſeu acquirere aliquid, quod antè non habebat, & ſic tranſire à priuatione ad habitum, ſeu formam. Tria ergo ſunt eſſentialia, & intrinſeca naturalis mutationis principia, materia ſcilicet, forma, & priuatio, quia cum illis præcisè habetur, & abſque illis nullatenus haberi poteſt conceptus mutationis. Quia verò adueniente forma deſinit priuatio, vtpotè ei in eodem ſubiecto contradictoriè oppoſita, ideo res naturalis nonniſi ex duobus principijs materia ſcilicet, & forma in ſe, & abſolutè conſtat.

54 Eſſe in rebus materiam nemo niſi fatuè negare poteſt, cum vel ipſis oculis videamus multa corpora de nouo fieri, & ſemper ex aliquo præſuppoſito ſubiecto, quod paulatim diſponitur, ac præparatur, quouſque veteri forma dimiſſa, nouam induat; & conſequenter idem manere debet ſub vtroque termino; & nihil magis ars pariter, et natura abhorreat, quam creationem, tam in ſubſtantiarum productione, quam accidentium. At in materia deueniendum tandem eſſe ad primam ex eo conuincitur, quia in principijs per ſe ſubordinatis procedi non poteſt in infinitum, præſertim in materia, quæ eſt veluti baſis, ac fundamentum, cui phyſicum, ædificium inniti debet.

1 Phyſ. t. 82. 55 Hæc materia bene definitur à Philoſopho *ſubiectum primum vniuſcuiuſq; ex quo fit aliquid, cum inſit non ſecundùm accidens*, hoc eſt tantùm non vt accidens. Non ineptè etiam ab eodem
7. Met. t. 8. deſcribitur *non eſſe quid, nec quale, nec quantum, ne aliquid eorum per quod ens determinatur, neque horum negationes, ſed potentia hæc omnia*. Ex quibus deducitur materiam primam eſſe ſubſtantiam incompletam, potentialem tamen, indeterminatam, ac de ſe indifferentem, ad omnem entis completi ſpeciem, quæ recipiendo formam intrinſecè conſtituit ipſum compoſitum. Eſſe ſubſtantiam incompletam liquet, tum quia eſt pars compoſiti ſubſtantialis, impoſſibile eſt autem ſubſtantiã ex non ſubſtantijs conſtare: Tum quia eſt ens aliquod, non enim eſt planè nihil, & non eſt accidens, quippè nulli ſubiecto inhærens, cum ſit primum ſubiectum, relinquitur ergo, vt ſit ſubſtantia, non completa, quia eſt pars, ergo incompleta. Eſſe verò potentialem indeterminatam, &c. ex eo patet, quia hic eſt proprius materiæ conceptus, per quem à forma condiſtinguitur, à qua trahitur ad hanc, vel illam determinatam entis completi ſpeciem.

Con-

Digitized by Google

56 Conſtat ex his materiam eſſe puram potentiam phyſicam, & ſubiectiuam excludentem omnem actum formalem, ſeu phyſicum, qui eſt propriè, & ſimpliciter actus, non metaphyſicam, & obiectiuam, cum habeat in re propriam entitatem ſubſtantialem, vera definitione explicabilem, atque adeò etiam proprium actum entitatiuum, ſeu exiſtentiam, quæ à rei cuiuſque eſſentia, re ipſa minimè diſtinguitur; & etiam ſi diſtingueretur adhuc materia recipere non poſſet exiſtentiam à forma, tum quia eſt eius cauſa, omnis autem cauſa debet pro priori naturæ, & independentiæ præintelligi exiſtens, ante exiſtentiam ſui effectus, quam cauſat; tum quia alioquin naturales cauſæ materiæ conferrent, vel demerent exiſtentiam & ſic eandem ortui, & corruptioni redderent obnoxiam: tum quia cum materia à Deo producatur per actionem planè diuerſam ab ea quà materialis forma à naturalibus cauſis efficitur, nempe per creationem, & omnis actio terminetur ad exiſtentiam, vt habet commune proloquium, adhoc enim tendit, vt faciat rem exiſtere, oportet materiam, & formam diuerſas habere exiſtentias, quæ diuerſis actionibus exigant produci; Denique niſi materia propriam haberet exiſtentiam non eſſet potentia phyſica, & ſubiectiua, & conſequenter non poſſet vnum per ſe phyſicum cum forma conſtituere, quia nec formam, nec eius exiſtentiam poſſet in ſe ſuſtentare, vel recipere: Nam in re non exiſtente nihil recipi poteſt.

57 Materia prima non eſt ipſum corpus completum de prædicamento ſubſtantiæ, cum ſit eius ſubiectum, & pars: Multò minus eſt aliquod ex quatuor vulgatis elementis: hęc enim identidem generantur, & intereunt; illa vero eſt penitus ingenerabilis, & incorruptibilis, vtpotè primum ſubiectum omnis generationis, & corruptionis: eſt eiuſdem incompletæ ſpeciei, in omnibus ſublunaribus corporibus, vt ex mediata, vel immediata eorum ad inuicem tranſmutatione colligitur: In diſtinctis tamen compoſitis ſimul exiſtentibus ſit materia numericè multiplex: Neque enim eſſentialis materiæ finitas, & limitatio patitur, vt eadem numero in tot diſtinctis numero, & loco indiuiduis reperiatur.

58 Vniuerſalis materiæ potentia per quam vniformiter, & indifferenter reſpicit omnes formas non eſt accidens, vel proprietas ſuperaddita, ſed differentia eſſentialis illius, non minus, quam uis actuatiua, & informatiua, ſit ratio ſpecifica formæ: Eatenus enim ex materia, & forma, fit vnum ens per

Digitized by Google

ſe eſſentiale, & vna completa ſubſtantia, inquantum vna eſt ſubſtantialis potentia,& altera ſubſtantialis actus: Et ſecluſis huiuſmodi rationibus, non remanet niſi conceptus ſubſtantiæ incompletæ,in quo forma,& materia genericè conueniunt. Ex quo fit materiam primam dicere intrinſecũ, & eſſentialem ordinem ad formam, ſine cuius poſſibilitate, nec eſſe, nec intelligi poteſt; eodemque modo à forma proportionaliter reſpici, ſublatis enim receptibilibus nullum eſſet receptiuum, & è contra. Quamuis autem per eandem potentiam reſpiciat formas omnes ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales: nihilominus cum has earum gratia recipiat, ac proinde conſequenter ſolùm, & ſecundariò, ideò ordo ad accidentia potius modum metaphyſicæ proprietatis, quam differentiæ eſſentialis reſpectu materiæ ſibi vendicat.

59 Materiæ potentiam conſequitur noſtro modo intelligendi eiuſdem inclinatio, & ingenita propenſio in formas, tanquã in ſuum bonum, quæ propenſio fruitio, vel appetitus metaphoricè dicitur, prout formæ in quas materia propendet,actu ab ea poſſidentur, vel nondum ei ſunt vnitæ. Hæc fruitio, & hic appetitus ſecundùm totum poſitiuum, quod dicunt, à materiæ potentia realiter non diſtinguntur; ac proinde indifferenter reſpiciunt omnes formas etiam corruptas (nam corruptio conceptum actus, & potentiæ non variat) non quòd poſſit materia ſimul recipere omnes formas,ſimultate ſe tenẽte ex parte formarum, vel in id propendeat; ſed quia ſimultate ſe tenente ex parte potentiæ ſimul poteſt quamlibet formã ſeorſim recipere, nec de ſe magis exigit eſſe cum vna, quàm cum alia, quia quælibet in ſe continet bonitatem per ſe formaliter expetitam,eamque implet,ac ſubſtantialiter complet.

60 Poteſt diuinitus materia exiſtere abſque omni ſubſtantiali forma, nulla enim adeſt implicantia, quo caſu eodem influxu intrinſecè inuariato conſeruaretur, cum à forma ipſa non cauſetur, ſed à ſolo Deo: Naturaliter tamen id fieri non poteſt, tum quia nunquam à naturali agente vna corrumpitur formà, quin prius alia generetur, cum eà incompoſſibilis, natura per ſe primò inclinante in bonum: Tum quia materia non eſt expetibilis niſi propter formam, & compoſitum, vnde omnem phyſicam determinationem accipit; tum demum quia de ſe eſt adeo potentialis, inornata, ad & omnem operationem inepta, vt eam veluti pudeat in hoc mundiali Theatro nuditatem ſuã creaturarum vniuerſitati exhibere proſpiciendam,quæ omnia

argu-

Digitized by Google

arguunt naturalem connexionem materiæ cum aliqua forma, vage, & indeterminatè accepta, quæ connexio dependentia à poſteriori tamquam à termino, & complemento non malè dici conſueuit.

61 Poteſt etiam de abſoluta potentia materia prima ſimul ſubeſſe pluribus formis ſubſtantialibus, quantumuis diſparatis, quo poſito, non vnum, ſed duplex compoſitum, quod à forma potiſſimum ſuam ducit denominationem, conſtitueret: nec intrinſecè augerentur eius vires paſſiuæ, non enim materia patitur, vel ſuſtentat conſumendo ſpiritus, aut conatum aliquem adhibendo, ſed per hoc quod vniatur tanquam potentia perfectibilis, quæ vnio reſpectu formæ potentis ſine ea exiſtere merà dicitur receptio, at comparatione formæ à tali vnione dependentis ſuſtentatio nuncupatur. Naturaliter verò non poteſt materia ſimul actuari à pluribus formis, tum ob harum incompoſſibilitatem, tum quia eſt inſtituta ad conſtituendum compoſitum, non autem vnum aggregatum ex pluribus compoſitis, ideoque etiam ſortita eſt naturam partibilem, vt ſecundum varias ſui partes, diuerſas formas recipiendo, diſtincta compoſita conſtitueret. Inſuper materia ſecundùm philoſophos eatenus eſt prima radix generationis, & corruptionis quatenus dum habet vnam formã caret aliis, in quas vniformiter de ſe propendet, nonniſi enim ratione priuationis adnexæ dicitur venefica, ac maleficium moliri; non igitur à naturali agente plures ſimul formas vnquam recipiet.

62 Alterum mutationis principium eſt priuatio, quæ bene deſcribitur *carentia formæ in ſubiecto capaci*, nempe materia. Secundùm id quod dicit in recto impropriè ſolùm, & abuſiuè exiſtit, cum idem formaliſſimè ſit eſſe priuationem, ac non eſſe formam. Principiat ſuo modo naturalem mutationem nõ quãdo eſt, quia tũc nulla adhuc eſt mutatio, ſed quãdo nõ eſt, nempe in ipſo generationis inſtanti; tunc enim primò ſubiectum ſubſtantialiter mutatur, tranſeundo ab vno termino ad alium. Neque id mirum videbitur conſideranti priuationem eſſe principium non intrinſecè componens, ſed vti terminum à quo materia tranſit ad formam.

63 Poſtremum, ac nobiliſſimum mutationis principium forma rectè definitur, *quodquid erat eſſe rei*, ſeù actus ſubſtantialis, [illegible]
qui informando materiam dat compoſito eſſe determinatum, ac ſpecificum. Eſſe in rebus formas ſubſtantiales, præter accidentia quorum ſunt radices, tam certum eſt, quàm ſit clarũ homi-

hominem, equum, leonem aliaque naturalia corpora eſſe ſubſtantias inter ſe ſpecie diuerſas, atque identidem ſubſtantialiter gigni, & corrumpi. Forma non eſt tota eſſentia compoſiti, alioquin compoſitum non eſſet, ſed pars eius, potior tamen, ac nobilior, cum ſit pars actualis, ac prima radix omnium accidentium, & operationum compoſiti. Nihilominus compoſitum eſt abſolutè ipſa forma perfectius, vtpotè quid totale, & completum, & præter totam formæ nobilitatem continens etiam, qualemcunque materiæ perfectionem.

64 Proprium formæ tam accidentalis, quam ſubſtantialis, eſt recipi: materiæ autem & in vniuerſum cuiuslibet ſubiecti recipere, ſi autem quæratur, quid ſit recipere, & recipi; & cur ex duabus rebus æque intime vnitis hæc potius recipere, vel recipi dicatur, quam alia; dicimus id poſſe quoquo modo explicari exemplo vaſis, aqua verbi gratia, pleni, vbi licet tam vas aquæ, quam aqua vaſi ſit æque localiter præſens, nihilominus, quia vas, & non aqua habet in ſe ſinum ſeu inanitatem quandam, quæ per infuſum liquorem impleatur, ideo vas dicitur in ſe recipere aquã, hæc verò non dicitur recipere, ſed recipi in vaſe. Ita ſimiliter in omni compoſito, tam accidentali, quam ſubſtantiali, illa pars quæ vnitur tanquam vacuitas, & inanitas quædam, ſeu potentia carens ea perfectione, quæ principaliter importatur in tali compoſito, quatenus tali, dicitur vniri tamquam ſubiectum, & receptaculum, atque adeo recipere; illa verò quæ vnitur, tamquam illa ipſa perfectio dicitur recipi in altera parte, ſiue ei tanquam fundamento, & cauſæ ſubiectiuæ pro priori naturæ præſuppoſitæ innitatur, ſiue non. Et quia prima materia formæ vnitur tanquam ſubſtantialis, quædam inanitas, & potentia, ex ſe in nulla determinata entis ſpecie conſtituta, idcircò optimè dicitur recipere: Econtra ſubſtantialis forma, cum vniatur tanquam propria, ſpecifica, ac potiſſima compoſitæ ſubſtantiæ perfectio hac de cauſa recipi dicitur tanquam actus. In hoc vero differt ſubſtantialis forma ab accidentali, quòd illa ita vnitur ſuæ potentiæ, vt ſimul cum ea conſtituat primam rem per ſe primò à natura intentam, nempe completam ſubſtantiam, & eſt prima radix omnium aliarum accidentalium perfectionum, quæ ſibi quodammodò inſeruiunt: Accidens verò non ita ſe habet.

65 Ex formis aliæ ita actuant, ac ſubſtantialiter perficiunt materi-

Digitized by Google

teriam, vt nullatenus ab ea pendeant, vel cauſentur, quoad proprium eſſe, cuiuſmodi eſt anima rationalis, Aliæ verò vt reliquæ omnes formæ tam ſubſtantiales, quàm accidentales, ita recipiuntur in ſubiecto, vt ab eodem paſſiuè ſuſtententur. Quæ primo modo ſe habent immateriales dicuntur, & à ſolo Deo per creationem pendent. Formæ verò ſecundi generis sũt materiales, & à naturali agente è materiæ potentia educũtur. Hoc autem educi nihil eſt aliud quam in ſuo fieri, & eſſe ab eadem materia tanquam à ſubiecto ſuſtentante pendere: Per hoc enim creatio ab eductione differt, quod illa, non hæc eſt productio rei ex nullo præſuppoſito ſubiecto, eiuſque terminus à nullo ſubiecto dependet, ſed accipit eſſe independenter ab vnione cum aliquo ſubiecto, vt videre eſt in Angelis, & anima rationali, quæ in priori naturæ antecedenter ad vnionem cũ corpore habet totũ ſuũ eſſe per creationẽ à Deo: Terminus autem eductionis, nec eſſe, nec fieri p oteſt niſi inexiſtenter alicui ſubiecto firmo, ac ſtabili, à quo proinde merito dicitur ſuſtentari: Non verò per hoc diſſident creatio, & eductio, quod vna, non altera ſit productio rei ex nihilo ſui: Potius enim in huiuſmodi ratione conueniunt, quandoquidem, quidquid verè de nouo producitur, ante non erat, & ita fit ex nihilo ſui, ſub ea ratione ſub qua producitur: Quo fundamento facilè impugnantur illi Doctores, qui omnes formas, vel partes earum ceù ſemina quædam, latere crediderunt in ſinu materiæ, è quo obſtetricante cauſa efficiente veluti extrahantur in lucem.

66 Id in cuius conſtitutionem materia, & forma ſuapte natura vltimatè conſpirant eſt ſubſtantiale compoſitum: Quod non eſt tertia entitas diſtincta à partibus ſimul ſumptis, & vnitis, cum aliud in ſuo conceptu non inuoluat præter compoſitionem, & extrema intrinſecè componentia: Nec ratio partium patiatur adæquatam diſtinctionem à toto. Tamen cum poſſint in hoc inſtanti eſſe partes, quin ſint ſubſtantialiter vnitæ, manifeſtum eſt ſe ipſis eſſentialiter non vniri, ſed egere ſubſtantiali nexu diſtincto non realiter entitatiuè, ſed ſicut modus à re diſtinguitur, quia nulla ratio cogit ponere maiorem diſtinctionem: Immò cum vnio ſit ipſe formalis nexus partium, quas actu neceſſariò vnit, ac proindè nè detur proceſſus in infinitum, ſe ipſa eſſentialiter adnectatur extremis, ſine quibus nec eſſe, nec intelligi poteſt, imbibit omninò conceptum, & definitionem modi.

67 Ad

Digitized by Google

67 Ad vniendas ambas partes non exigitur duplex vnio, ſed vna ſufficit; quia vnio ex ſuo conceptu eſt duorum vnio, & vnio intrinſeca eſt duorum vnio intrinſeca. Hæc non recipitur in ambabus partibus,multòque minus in ſola forma, ſed recipitur, in materia, & terminatur ad formam: Illa enim cum ſit ſubiectum generationis, debet etiam in ſe recipere vnionem, quæ eſt terminus eius intrinſecus: Item cum vniatur per modum ſubiecti,& potentiæ, vniri debet patiendo, & recipiendo: forma verò cum vniatur per modum actus, non recipere, ſed recipi debet.

DE NATVRA, ET CAVSIS.

68 Natura rectè dicitur *principium, & cauſa, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primò, & per ſe, & non ſecundùm accidẽs ineſt*. Hic enim eſt communis phyſicæ naturæ conceptus, per quem naturalia ab arte factis, alijſque natura non conſtantibus formaliter diſtinguutur. Hanc in rebus eſſe eſt adeo manifeſtum, vt id niti demonſtrare meritò dixerit Philoſophus eſſe planè ridiculum,ob euidentem connexionem motus cum natura, ratione cuius vnico veluti obtutu dignoſcuntur: Eo ipſo enim quo videmus plãtas germinare flores fructuſq; producere,animalia loco moueri, aliaſque ſenſationes in ſe efficere, illico etiam cognoſcimus ineſſe rebus iſtis principium, & radicem talium operationum. 2. Phyſ. 3

69 Ratio naturæ conuenit tum principio actiuo, tum paſſiuo, interni motus, ac proinde tam materiæ, quam formæ ſubſtãtiali, immo, & totum compoſitum completa natura dici poteſt, nulla enim ratio oppoſitum ſuadet, cum hæc omnia ſint in ſuo genere primum internum principium motus: accidentibus autem naturæ definitio non quadrat, ſunt enim potius affectiones naturæ, à qua fluunt, cum ſint entis entia, quàm natura, ad quam non eſt ſatis eſſe principium motus, niſi etiam ſit primum, & fontale, quod certè accidentis eſſentiæ omnino repugnat.

70 Ars ſiue ſumatur formaliter pro habitu, & cognitione exiſtente in intellectu artificis, ſiue obiectiuè pro opere arte facto, qua artefactum eſt, cum ſemper ſit, quid accidentale, naturæ perfectionem non adęquat, etſi multam ei addat venuſta-

Digitized by Google

nuſtatem, & decus. Per ſe, & directè naturæ opera efficere nō poteſt, ſed ſolùm indirectè, & per aliud dirigendo ſcilicet, & exhibendo modum voluntati, quo naturalia actiua paſſiuis applicari debent: Neque enim immanens intellectus notitia, ex ſe vim habet tranſmutandi externam materiam, ſed ſolùm mouendi appetitum ad applicandum, media facultate motrice, virtutes naturalium cauſarum: Qua ratione cum plura alia admiranda fiant, etiam verum aurum artis chymicæ induſtria effici poſſe credimus: Nam ſaltem Angelus naturaliter cognoſcit quomodò admotis, naturalibus agentibus aurum fieri poſſet, & ita poterit hominibus eandem communicare notitiam.

71 Cauſa in communi non ineptè definitur *principium per ſe influens eſſe in aliud* hoc eſt per ſe tribuens alicui eſſentiam modo aliquo diſtinctam, adæquatè ſcilicet, vel inadæquatè. Diuiditur in quatuor cauſarum genera, nempe in cauſam materialem, formalem, efficientem, & finalem; quarum duæ priores rectè dicuntur cauſæ intrinſecæ, poſteriores verò extrinſecæ. Materia, & forma, in hoc conueniunt, quòd compoſiti eſſentiam intrinſecè componunt, & per hoc dant ei eſſe, atque ita cauſant; differunt autem in eo quòd diuerſo modo illud conſtituunt, nam cauſa materialis, & ſubiectiua, recipiendo formam, dat eſſe compoſito: At cauſa formalis actuando materiam eidem compoſito eſſe impertitur.

72 Eſt etiam materia formæ materialis cauſa, ſed diuerſa ratione, ac compoſiti: hoc enim cauſat intrinſecè componendo: at præbet eſſe formæ in genere cauſæ materialis, & ſubiectiuæ, per hoc quòd forma ita ſit in ſubiecto, vt non poſſit, nec produci, nec conſeruari, niſi eidem innixa, & affixa; conſtat enim agentium naturalium actiones ipſaſque formas productas, ita recipi in materia, vt ſine hac receptione eſſe non poſſint. Hinc materia reſpectu compoſiti dici poteſt intrinſeca per inadæquatam identitatem, ſeu conſtitutiuè, at reſpectu formæ eſt intrinſeca ſolùm per intimam vnionem, & adhæſiuè, eam enim per ſui mutationem cauſat, hoc eſt, & actionem agentis, & ipſam formæ entitatem recipiendo. Quod ſi forma cum nuda entitate materiæ conferatur, nullam erga eam propriam cauſalitatem exercet, non enim forma ante materiam prò vllo priori naturæ præſupponitur, nec potentia aduenit actui, ſed è contra.

73 Actus primus ſeu virtus cauſatiua tam materiæ erga formã, quam vtriuſque erga compoſitum eſt ipſa materiæ, & formæ eſſentia quatenus apta componere, vel ſuſtentare ſuum effectũ; eatenus enim cauſant totum quatenus illud intrinſece componunt, atque adeo eatenus poſſunt cauſare, quatenus poſſunt componere: Hæc autem potentia recipiendi formam, & componendi totum, eſt ipſa eſſentia materiæ; et vis actuandi materiam, et totum conſtituendi eſt ipſa eſſentia, formæ.

74 Actus verò ſecundus ſeu cauſalitas in compoſitum eſt ipſa eius conſtitutio, et compoſitio, ſeu nexus ille ſubſtantialis, vel accidentalis iuxtà compoſitorum diuerſitatem, quo ambæ partes, ſe toti communicant, per hunc enim earum virtus cauſatiua ad actum reducitur, per eumdem actualiter componunt, et dant eſſe compoſito. At cauſalitas cauſæ ſubiectiuæ in formam materialem, non ita eſt paſſio, vt vnio excludi debeat, nam etiam vbi actio, et paſſio tranſierit, ſola remanente vnione materia formam cauſat, & ſuſtentat: nec poteſt intelligi quod materia cauſet ſuſtentando, niſi quatenus recipit aliquid, hic enim eſt proprius modus cauſandi cauſæ materialis, vnde definitur ab Ariſt. id ex quo aliquid fit itaut inſit. Sicut enim ipſamet actio eatenus à ſubiecto dependet quatenus in ea recipitur, ita etiam ipſa forma, vnde receptio ſeu vnio materiæ cum forma eſt cauſalitas qua materia in actu ſecundo, & in facto eſſe cauſat formam.

75 Non eſt autem difficile intelligere quomodò vnio poſſit eſſe cauſalitas qua materiales formæ ſuſtententur in ſubiecto, nam formæ huius generis sũt adeo debiles, & imperfectæ in eſſendo, vt non poſſint naturaliter exiſtere, quin ſubiecto, cui ſunt alligatæ innitantur: quia verò ſubiectum in ſe eſt firmum, & ſtabile, eo ipſo quod ei adnectitur forma quantũuis debilis, & infirma, vi huius vnionis quaſi continetur ne abeat in nihilum, ſicut ſenex vel ægrotus innixus baculo ſuſtinetur ne cadat.

76 Neque ex eo quod vnio animæ rationalis non ſit cauſalitas valet argumentum ad alias formas, nam vnio animę rationalis, eſt vnio formæ perfectæ, quæ propterea per talem vnionem non ſuſtentatur, quia poteſt exiſtere ſine vnione ad ſubiectũ. At verò vnio formæ materialis eſt alligatio debilis, & imperfectæ formæ, quæ ſeiuncta à ſubiecto exiſtere non poteſt, forma autem debilis, & imperfecta per alligationem ad ſubiectum ſtabile ſuſtentatur.

77 Sequitur ex his realiter loquendo eandem eſſe cauſalitatem materiæ erga formam, & vtriuſque erga compoſitum, nam

ſubic-

ſubiectum vt dictum eſt, eatenus cauſat formam, quatenus eā in ſe recipit, & recipiendo ſuſtentat, & tam forma quam ſubiectum non alia ratione compoſitum cauſant, niſi quatenus illud intrinſece componunt, ſed per eandem vnionem, & materia recipit formam, & vtraquè ſe compoſito communicat: per eandem enim, & materia formæ & forma materiæ vnitur: ergo vnica in re eſt cauſalitas, cum ſola diſtinctione rationis.

78 Cauſa efficiens phyſica appoſitè deſcribitur à philoſopho, 2. Phiſ.t.3 *principium primum vnde eſt mutatio, & quies*. Poteſt etiam ſic vniuerſaliùs definiri, agens quoq; non phyſicum comprehendendo, nempe Deum creantem Angelos, & animas rationales indepedenter à ſubiecto, *Cauſa efficiens ea eſt à qua fit aliqua eſſentia*, per illam particulam vnde, in prima definitione, ſicut & per illam, à qua fit, in ſecunda propria ratio efficientis exprimitur, hoc eſt quidam egreſſus, & emanatio effectus omnino diſtincti à cauſa, ita vt agens, quatenus agens, nec componat intrinſece effectum, nec illum in ſe recipiat, aut alioquouis modo immutetur, ſed immutet, determinando extrinſecum ſubiectum ad formæ receptionem.

79 Cauſæ ſecundæ re vera agunt vt agentia in ſuo ordine præcipua, nam licet virtutem operandi a Deo recipiant, hæc tamen virtus eſt eis per ſe primò debita, propriȩque naturæ cōmenſurata. Dicere autem ſolum Deum, vel aliam intelligentiam formarum datricem ad naturalium corporum præſentiā operari, eſt valde manifeſtis aduerſari, & omne principium ad naturales veritates inueſtigandas è medio tollere. Verum tamen eſt cauſas creatas, cum eſſentialiter à Deo pendeant in eſſe, pendere etiam in operari, vnde abſque immediato Dei concurſu, eodem influxu cum ipſis immediatione virtutis, & ſuppoſiti, propriȩ virtuti, nempe omnipotentiæ identificati, ad omnes earum effectus indiuiſibiliter concurrentis, nihil per sè agere valent.

80 Virtus cauſatiua, & actus primus naturalium agentium primò quidem, ac præcipue eſt eorum forma ſubſtantialis, hæc enim eſt prima radix omnium operationum: at virtus proxima & inſtrumentalis, qua ſcilicet immediate ſuorum effectuum productionem attingunt, eſt accidens de genere qualitatis. Nam ſubſtantia non agit immediate, ſed mediis accidentibus à quibus, tanquam ab inſtrumentis quibus naturaliter vtitur, ad hunc finem à natura receptis, proxime, & immediate effectus etiam ſubſtantialis productionem attingi nullum eſt inconueniens, quia ex vna parte non eſt neceſſe quod illa cauſa

Digitized by Google

quæ non operatur niſi vt virtus, & inſtrumentum alterius, cui eſſentialiter per ſe ipſam ſubordinatur, adæquet perfectionem effectus, namhic debet ſolum commenſurari cauſæ principali: Ex alia verò parte niſi hoc dicamus in viuentium ortu, metallorum, aliorumque plurium effectum longè à ſuis cauſis plerumque etiam non exiſtentibus productione fateri oportebit agens naturale etiam non exiſtens, vel abſens poſſe operari; vel defeciſſe naturam in neceſſarijs, non prouidendo, ac præparando ſufficientes cauſas ſecundas prò naturalium effectuum generatione.

81 Actus autem ſecundus ſeu cauſalitas cauſæ efficientis eſt actio, hæc ſiquidem eſt exercitium virtutis actiuæ, a qua denominatur actu agens. Subſtantiæ, ab agentibus naturalibus, atque etiam quamplurima accidentia non producuntur ſe ipſis, ſed per actionem modaliter diſtinctam ab entitate cauſæ, ſubiecti, & effectus, vi cuius conectuntur cum hac potius cauſa, quàm alia, cum de ſe ſint indifferentes, vt conſtat, potuerunt enim ſaltem à ſolo Deo produci. Hic modus actionis non recipitur in agente, alioquin agens agendo mutaretur, & ſic idem formaliter eſſet agere, & pati, & Deus vtpote immutabilis, nihil de nouo efficere poſſet in rebus, ſed potius egreditur ab agente, & recipitur in paſſo, nempe in ſubiecto illo, dependenter à quo agens agit, ex quò fit actionem, & paſſionem realiter eſſe idem, & ſola ratione penes diuerſas habitudines ſecerni, eadem enim entitas ut eſt ab agente eſt actio, ut recipitur in paſſo, paſſio nuncupatur: Eadem eſt actus agentis ut à quo egreditur, & emanat, eſt actus patientis, ut in quo recipitur, & ſuſtentatur.

82 Agentia naturalia non temerè, & caſu agere, ſed propter finem, vel à ſe intentum, uel in quem ab authore naturæ deſtinantur, euidenter conſtat tum ex conſtanti modo operandi uniformi quadam uarietate, pro rerum, earumque partium diuerſitate, nam pro diuerſis formis recipiendis, pro uarijs operationibus exercendis, diuerſimodè etiam materia diſponitur, ac præparatur, dentes anteriores animalis ſemper ſunt acuti, maxillares lati, oculi ſtructura talis diuerſa à cordis temperie &c. tum ex admirabili ordine quò uniuerſum hoc, ſinguæ eius partes,

tes, ac partium particulæ apparent digeſtæ, ex quo clariſſimè colligitur rerum naturalium cauſis adeſſe conſilium, ac mentem, quæ non caſu, ſed propoſito ſibi fine operetur.

83 Optimè uerò finis dicitur eſſe *propter quem, & cuius gratia aliquid fit*, & ob hoc ipſum eſt vera cauſa ab alijs cauſarum generibus diuerſa, vt patet tum ex communi omnium conceptu, qui lumine naturæ ducti, ſe veram propriamque plurium effectuum cauſam reddidiſſe putant, cum finem aſſignent, immò & abſolutè ſine cauſa ſe aliquid egiſſe dicunt, ſi nullo propoſito ſibi fine egerint; tum quia propter quid petit cauſam; vt benè diſcurrit Philoſophus, & multa fiunt propter talem finem in intentione agentis omninò præſuppoſitum, quæ eo ſublato non fierent.

84 Virtus cauſatiua finis non eſt cognitio, vt cognitio, ſed bonitas, vt bonitas, ſiue realis, ſiue apparens: Hæc enim, non illa eſt, quæ finaliter allicit, & obiectiuè mouet appetitum, & cuius gratia aliquid fit, cognitione ſolùm ſe habente per modum neceſſariæ conditionis applicantis, aut etiam exiſtentiæ intentionalis: Finis enim ad hoc vt cauſet media non debet in re exiſtere, nam vt ſic eſt magis eorum effectus, quam cauſa, ſed debet præexiſtere in intentione: Hanc autem intentionalem exiſtentiam formaliſſimè habet per ipſam cognitionem, ſine quà proinde implicat finem propriam exercere cauſalitatem; bonitas quippe quando ignoratur in ordine ad voluntatem mouendam perindè ſe habet, ac ſi non eſſet.

85 Finis ſiue moueat per veram, ſiue per apparentem bonitatem, ſemper eſt cauſa realis, quia & habet reales effectus, & realem cauſalitatem, à quà cauſa in actu ſecundo denominatur. Hæc autem cauſalitas non eſt ordinatio rei cuiuſque in ſuum finem, vt ſic enim finis magis habet rationem termini, & effectus, quam principij, & cauſæ: Non eſt vniuerſaliter, & præcisè ipſa actio agentis, cum hæc multoties ſit indifferens, vt fiat propter hunc, vel illum finem, neque tandem eſt aliquid, quod omnem voluntatis actum præcedat, quandoquidem nequit intelligi, quo pacto appetitus ante omnem ſui operationem à fine cognito in actu ſecundo moueatur.

86 Re-

Digitized by Google

86 Remanet igitur, vt ſit ipſe actus voluntatis, ſeu amor ampliſſimè ſumptus, idem enim ferè eſt eſſe id cuius gratia, ac eſſe id cuius amore aliquid fiat, nec poteſt bonitas finis alio modo mouere voluntatem in actu ſecundo, quàm per amorem, amor ſiquidem eſt ipſe motus, & inclinatio voluntatis in bonum iuxta illud Auguſtini, *Amor meus pondus meum illò feror, quòcunque feror*. Verum tamen eſt reſpectu eorum effectuum, qui non eſſentialiter pendent à tali, vel tali fine, cauſalitatem finis integrari, tum ex eius amore, tum ex productione talis effectus, prout ob amorem præſuppoſitum à quo imperatur, intelligitur exire in gratiam finis; nam his omnibus intellectis intelligitur finis in actu ſecundo cauſa huiuſmodi effectus, altero ſecluſo non intelligitur.

87 Finis effectus ſunt media, & omnes actus ſiuè à voluntate eliciti, ſiue imperati circà ea verſantes, vt electio, conſultatio, imperium, & vſus, omnes enim fiunt gratia finis: immò & omnes actus voluntatis immediatè circà finem ipſum verſantes, cum verè à finis bonitate obiectiuè mouente procedant, eiuſdem effectus cenſeri debent: ſicut ob oppoſitam rationem ipſa finis cognitio, & alia huiuſmodi, quæ omnem motum voluntatis in finem præueniunt inter finis effectus non ſunt adnumeranda.

88 Et ſi omnibus agentibus agere conueniat propter finem, non tamen eodem modo, nam agentia intellectualia cum perfectè cognoſcant finem, & vtilitatem mediorum, verè & propriè ipſa ſe mouent in finem, & per ſe illius gratia operantur; at agentia ratione minimè prædita, multòque magis, quæ nullam habent cognitionem, & appetitum, per ſe non attingunt finem, vt finem, nec media, vt media, nec per conſequens propriè loquendo per ſe agunt propter finem; ſed ſolùm prout ſubſtant directioni primæ cauſæ, indiuiſibiliter cũ ipſis ad omnes eorum motus concurrentis, à quà veluti ſagitta à ſagittante in proprium ſcopum, & finem per inſitas propenſiones deſtinantur.

89 Agentia tam naturalia, quam intellectualia, agunt quidem propter finem, vt dictum eſt, nihilominus euenit eis interdũ aliquid præter finem intentum, vt fodienti terram inuentio theſauri, & lapidi ex alto cadenti prætereuntis animalis percuſſio, vnde non poteſt omninò negari præter cauſas per ſe, eſſe quoque in rebus cauſas per accidens, contingenter ſcilicet effectum cauſantes, ad quem ſuaptè natura non ordinantur, nempè fortunam, & caſum. Illa eſt *cauſa per accidens in agen-*

Digitized by Google

agentibus, quæ ſecundùm electionem propriam operantur (ſolos enim homines præ alijs animalibus fortunatos dicimus, ac fœlices) *eorum quæ nec ſemper, nec plerumque, ſed rarò contingunt*: Hic verò preſsè acceptus eſt eorundem *cauſa per accidens in his quæ ſine delectu proprio operantur*. 2. Phyſ. 52. & 57

90 Illud tamen non debet prætermitti, quod nullus effectus dicitur caſualis, & fortuitus, reſpectu Dei omnia præſcientis, vel reſpectu ſuæ cauſæ proximæ totalis, quatenus dicit concurſum omnium cauſarum, ex quò talis effectus neceſſariò infertur, ſed ſolùm comparatione eius cauſæ ſecundæ, partialis quidem, ſed præcipuæ, cui ex communi modo loquendi, & concipiendi ſolet effectus attribui, & quæ ex vì ſua præcisè nõ habet inferre talem effectum, ſed alium, neque exigit coniungi cum alia cauſa, à quà ſimul procedit effectus, ſed ei omnino per accidens, & contingenter adnectitur.

91 Caſui, & fortunæ opponi videtur fatum, quod ſi ſumatur pro indeclinabili rerum ſerie, & veluti catena ineuitabili neceſſitate effectus inducente, ſiue deinde à Deo, ſiue ab aſtris oriri dicatur, non poteſt ſalua veritate admitti, conſtat enim & Deum, & Angelos, atque etiam homines in operando eſſe ab omni neceſſitate immunes; libero enim gaudent arbitrio, vt in nobis experientia ipſa oſtendit. At fatum ſano modo acceptum nemo iure negauerit, quatenus ſcilicet eſt *inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam diuina prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus*: ſi enim Deus de cunctis rebus diſtinctiſſimam, & perfectiſſimam prouidentiam gerit, vt eſt de fide certum, ſi diſponit, & ordinat certa media, ad certum finem, dari etiam oportet ipſam diſpoſitionem, & ordinem mediorum, quæ eſt obiectum, & effectus Diuinæ Prouidentiæ: Hic autem ordo, & diſpoſitio, quaſi eam Deus fuerit prolocutus quando *ipſe dixit, & facta ſunt*, rectè dicitur fatum. Boet. 4. de Conſol. proſ. 6.

92 Præter quatuor explicata genera cauſarum non datur quintum genus cauſæ Idealis: Nam Idea, quæ nihil eſt aliud, niſi *forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis*, ſi conferatur cum intellectu artificis, cui inhæret, vendicat ſibi modum cauſæ formalis; at comparatione operis ad eius imitationem facti poteſt ad genus efficientis cauſæ reduci; nam artifex eſt cauſa efficiens arte facti ex Philoſopho, & communi omnium gentium conſenſu, artifex autem vltimò conſtituitur per Ideã, vti per formam, ſicuti agens naturale per formam naturalem ac proinde ſicut forma naturalis agentis, licet in ordine ad illud formalis cauſæ rationem habeat, reſpectu tamen operatio-

num,

Digitized by Google

num, quæ ab eo procedunt, eſt efficiens cauſa, ita forma intelligibilis, ſeu Idea licet reſpectu artificis, vt talis eſt, habeat rationem formæ, ſi tamen cum opere artefacto conferatur erit principium effectiuum; cum præſertim ſecluſa cognitione Ideali regulante, & dirigente artificem, principium efficiens non intelligatur vltimò completum, & determinatum ad hoc potius, quam alio modo operandum.

93 Cœterum Ideæ ratio, & eſſentia magis conuenit conceptui formali, quam obiectiuo ſumpto pro ipſo opere faciendo, quia ex vna parte nihil propriè dicitur fieri ad ſimilitudinem ſui ipſius, nec imitari ſe ipſum, nec eſſe Ideam ſui, ſed alterius; debet enim ideatum ab idea diſtingui, à qua pendet: ex alia verò parte conceptus formalis, ſeu practica cognitio eſt illa, quę regulat, ac dirigit operationem artificis, vt tali, & tali modo fiat, & cui proinde ipſum opus intentionaliter aſſimilatur.

94 Si cauſæ ad inuicem conferantur efficiens, & finis ſunt principia ex ſuo genere multò nobiliora, quàm materia, & forma; ſiquidem in eſſe, & modo cauſandi, nullam inuoluunt imperfectionem, quæ tamen neceſſariò imbibitur in conceptu materiæ, & cauſæ formalis: Vnde ratio efficientis, & finis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, formaliter in Deo reperta, qui tamen reſpectu nullius rei, materialis, vel formalis cauſa eſſe poteſt. Illud axioma Peripateticum *cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ in diuerſo genere*, non debet vniuerſè intelligi, ſed indefinitè, quatenus ſcilicet non repugnat aliquas cauſas, finalem nimirum, & efficientem, vt philoſophi exemplis vtar, eſſe ſibi inuicem cauſas; conſtat enim ſanitatem eſſe cauſam finalem medicinæ, à quà efficitur: Et hoc ex eo prouenit, quia finis non cauſat ſecundùm realem exiſtentiam, ſed tantùm quòad eſſe intentionale, vnde non debet pro vllo priori naturæ præintelligi exiſtens, ſed ſufficit ſi præintelligatur cognitus.

2. Phyſ. c. 3

95 Quod ſi loquamur de cauſis, quæ cauſant ſecundùm realē exiſtentiam, quę ſcilicet non poſſunt ſuam exercere cauſalitatem, quin actu in ſe ipſis exiſtant, vt ſunt cauſa efficiens, materialis, & formalis, probabilius eſt huiuſmodi cauſas, nec in eodem, nec in diuerſo genere ſe poſſe mutuò cauſare, implicat enim idem reſpectu eiuſdem eſſe prius, & poſterius; & cauſam accipere eſſe, & virtutē cauſandi effectum ab ipſo effectu realiter præſuppoſito: deberet enim ſe ipſam prę ſuppone re, & ita exiſtere, antequā exiſteret, quod manifeſtè repugnat.

96 Si

Digitized by Google

96 Si autem cum ſuis effectis cauſæ comparentur omnis cauſa efficiens principaliter influens debet formaliter, vel virtualiter, & eminenter ſuos effectus continere, hoc eſt, vel eſſe debet eiuſdem ſpecificæ perfectionis cum illis, ſi ſit cauſa vniuoca, vel magis perfecta ſecundùm eſſentiam ſi ſit æquiuoca. Virtus cauſæ eſt quidem natura prior ſuo effectu, hic enim accipit eſſe à cauſa, à qua dependet, non ècontra: nihilominus ipſa actio, & cauſalitas, qua producitur effectus, nō videtur effectum ipſum natura præcedere; nam ſecundùm philoſophum *ea ſunt priora, & poſteriora natura, quæcunque contingunt abſque aliis eſſe, iſta verò minimè*; actio autem nec eſſe, nec concipi poteſt ſine effectu. 5. met. c. 11 Inſuper effectus, neque cauſatur, neque dependet ab actione; non enim dependet per ſuam eſsentiam, quia poſſet produci per aliam actionem, neque per dependentiam diſtinctam, quia daretur proceſſus in infinitum, ſed ſolùm per actionem dependet à ſua cauſa, cum actio per ſe ipſam ab eadem cauſa dependeat. Neque hoc quod eſt actionem eſſe influxum, quo cauſatur effectus, infert naturæ prioritatem in ipſa actione, cum dentur multi influxus identificati cum effectibus eſſentialiter à cauſis dependentibus, quibus proinde non poſſunt eſſe natura priores.

97 Omnes cauſæ determinant ſibi procul dubio certos quoſdam effectus ſecundùm ſpeciem, vt manifeſtum eſt, nam ignis verbi gratia producit calorem, non frigus, aqua refrigerat non autem calefacit, & ſic de alijs; non tamen ita ſibi determinant effectus in indiuiduo, vt ille calor, qui producitur ab igne A. non potuerit abſolutè produci ab igne B. habente ſimilem, vel æqualem virtutem; cum enim adſit vtrinque ſimilitudo, & æqualitas, non poteſt neque ex natura cauſæ, neque ex natura effectus ſufficiens ratio aſſignari: Vnde etiam putamus in afferenda ratione cur cauſa, quando agit, hunc potius effectum numero, quàm alium omninò ſimilem producat, vel priùs, aut poſteriùs, hunc præ alio efficiat, neceſſarium eſſe recurſum ad determinationem cauſæ primæ, quæ ſuo efficaci decreto decernat ſe velle potiùs concurrere cùm cauſis ſecundis ad hunc numero effectum, quàm alium, & hoc potiùs influxu quàm alio conſimili.

98 Naturaliter fieri non poteſt quod à duabus cauſis totalibus eiuſdem generis, & ordinis, idē numero effectus procedat:

 cau-

cauſarum enim multitudo eò tendit, vt effectus poſſit exiſtere, ſed ſufficienter poteſt exiſtere per vnam cauſam totalem, quæ nimirum præſtet totum influxum neceſſarium ad productionem effectus; ſuperfluè igitur ponitur alia cauſa totalis; quod autem ſuperfluum eſt in natura, vi naturæ poni non poteſt, quia vt habet commune Adagium, *quemadmodùm natura non deficit in neceſſarijs, ita nec in ſuperfluis abũdat.* At de abſoluta potẽtia nõ apparet cur id fieri nequeat: licet enim effectus non exigat ex natura ſua, neque indigeat duplici influxu, & cauſa totali, nulla tamen eſt implicantia, ob quam non poſſit Deus velle effectum aliquem per duas totales actiones effici; vt ſi dum calor ab igne producitur, ignis actionem ſuſtineat Deus, & vlterius deinde aliam actionem de ſe ſufficientem adhibeat: hinc enim nil aliud ſequitur, quàm quod effectus dependeat à maiori virtute extenſiuè ſuperante ipſius indigentiam, in quo nulla contradictio apparet; nam etiam natura humana in Chriſto Domino, à virtute intenſiuè, ſeu perfectiuè maiori, quàm ſit neceſſaria, intrinſecè terminatur.

DE COMMVNIBVS NATVRALIVM CORPORVM AFFECTIONIBVS.

95 EXplicatis rerum naturalium principijs, & cauſis tum intrinſecis, tum extrinſecis, aliqua etiam de communibus earum proprietatibus ſtatuere oportet, quę ſunt Motus, Quantitas, Vbi, & Tempus: Omne enim naturale corpus & varijs motibus paſſim mouetur; quantum apparet, & extenſum; à loco circumſcribitur, & tempore aliquo durat; quæ omnia euidentiſſima ſunt. Prima igitur naturæ affectio motus rectè definitur in genere *Actus entis in potentia prout in potentia*; illud enim quo aliquid fit in actu cum priùs in potentia exiſteret, eſt eius actus, per motum autem mobile fit in actu, cum priùs eſſet ſolùm in potentia ad motum, optimè ergo dicitur actus entis in potentia, in quo conuenit cum alijs actibus: Quia verò dum mobile actu mouetur, licèt ſit in actu reſpectu motus, non quieſcit tamen in illo, ſed per

3.Phy.c.6

eum

cum tendit ad actum vlteriorem, nempè ad terminum, & formam, quæ per ipſum motum formaliſſimè acquiritur, ideò acutè addita eſt à Philoſopho illa particula, prout in potentia, qua ſignificatur motum ex propria eſſentiali ratione eſſe actum imperfectum, ſeu viam ad vlteriorem actum.

100 Sub allata motus definitione omnes phyſicæ mutationes continentur, alteratio ſcilicet, generatio, motus localis, &c. Diuiditur deinde motus à philoſopho in motum, qui fit *de ſubiecto in ſubiectum*, ſeu à termino à quo poſitiuo, ad terminum ad quem poſitiuum determinatè contrarium; & in motum, qui fit *de non ſubiecto ad ſubiectum*, ſeu à termino 5. Phyſ. t. 9 à quo priuatiuo ad terminum ad quem poſitiuum: Et ob penuriã vocabulorũ, primum appellat motum veluti per Antonomaſiam: ſecundum vocat mutationem. Motus communiter dictus ad quatuor tantùm prædicamenta per ſe terminatur, ſubſtantiam ſcilicet, qualitatem, quantitatem, & Vbi. Motus ad ſubſtantiam dicitur generatio, àd qualitatem alteratio; ad quantitatem, & vbi, augmentum, & latio Alia prædicamenta, vel ſunt ipſemet motus, vt actio, & paſſio, vel per ſe non producuntur, ſed ſolùm conſecutiuè ſe habent ad alterius productionem à natura præcipuè intenti, vt relatio, quæ conſequitur ad fundamentum ſitus, qui ad vbi, & habitus, qui approximationem veſtis ad hominem comitatur.

101 Motus verò ſpecialiter, ac veluti per antonomaſiam dictus vt in 5. Phyſ. ſumitur, nonniſi ad tria prædicamenta terminatur, quantitatem nimirum, qualitatem, & vbi; ſolùm enim alteratio, augmentatio, & motus localis per ſe verſantur inter terminos poſitiuos determinatè repugnantes, prout requiritur ad motum ſpecialiter dictum, niſi velimus facere quæſtionem de vocabulo.

102 Motus à mobili modaliter diſtinguitur, ſicut ſupra diximus de actione, & paſſione, à quibus motus ſola ratione ſecernitur, ob varios reſpectus ad diuerſos terminos extrinſecos in eadem ſimplici entitate fundatos; eadem enim productio caloris v. g. prout egreditur ab agente eſt actio, vt recipitur in materia eſt paſſio, prout verò eſt via, & tendentia in terminum productum dicitur motus: Neque vlla ratio cogit ponere maiorem diſtinctionem, non enim motus, qui fit in ſubiecto poteſt ab actione, & paſſione ſeparari.

103 Subiectum phyſici motus quantum eſſe debet, & extenſum, vnde indiuiſibile à magnitudine ſeparatum per ſe moueri non poteſt, vt pluribus oſtendit Philoſophus. Eſt autem

Digitized by Google

quantitas forma quædam accidentalis realiter à ſubſtantia di-ſtincta, quia hæc per ſe non cadit ſub ſenſum, illa verò ta-ctu percipitur, aliiſque ſenſibus; tum præſertim, quia in Auguſtiſſimo Sacramento quantitas à ſubſtantia ſeparatur. Non poteſt autem dici remanere in Sacramento quantitatē ſpecierum, non autem ſubſtantiæ, quaſi materia, & forma quæuis, etiam accidentalis, ſuam ſibi identificet quantitatem; tunc enim in vno eodemq; compoſito plures forent quantita-tes inuicem natura ſua penetratæ, quod eſt contra conceptū; & rationem propriam quantitatis, niſi libeat facere quæſtio-nem de voce, nomine quantitatis, non illud intelligendo, quod omnes philoſophi intelligunt.

104 Quantitas igitur eſt peculiare accidens à materia, forma, aliiſque accidentibus omnino diuerſum, cuius eſſentia, ac pro-pria formalis ratio non conſiſtit in diuiſibilitate, aut ratione menſuræ, hæc enim, & alia huiuſmodi non ſunt de primo eius conceptu, ſed potius affectiones conſequentes, quæ à priori de quantitate demonſtrantur. Neque etiam ſita eſt ratio quantitatis in multitudine partium, hoc enim quod eſt habere partes, eſt prædicatum nimis commune, ac genericum, quandoquidem materia, & quælibet forma materialis, non recipit partes ſuæ intrinſecæ entitatis à quãtitate, ſed eas ex ſe præhabet: aliàs nec foret apta adhoc vt extenderetur per quã-titatem, ſicuti non adeſt hæc aptitudo in Angelo, vel puncto; nec poſſet ſucceſſiuè, & per partes produci, cum enim aqua v.g ſucceſſiuè calefit, nō producitur, vel deſtruitur noua pars quantitatis, ſed perit vna pars frigoris, & noua caloris accedit.

105 Relinquitur ergo, quod propria quantitatis ratio ſit cor-porea moles, & magnitudo, nempe ſitualis partium extenſio, ratione cuius eſt apta nata implere locum, & ſortita eſt partes loci occupatiuas, ac proinde impenetrabiles; id enim omnes concipiunt nomine quantitatis: Actualis verò loci occupa-tio, quæ formaliter habetur per ipſum vbi circumſcriptiuum eſt proprietas conſequens, quæ poteſt diuinitùs à quantitate ſeparari, quemadmodum, & impenetratio actualis, quæ per diuerſa vbi formaliſſimè habetur

106 Quantitas non componitur ex punctis finitis, ſed eſt diui-ſibilis in ſemper diuiſibilia, vt omnis Mathematica ſupponit, cuius plurimæ demonſtrationes ruerent, ſi vera eſſet ſenten-tia Zenonis. Præterea nullum continuum ex ſolis indiuiſibi-libus, ſiue finitis, ſiue infinitis, eſſe compactum phyſicis ra-tionibus demonſtratur; quarum illa eſt præcipua, quia indi-

uiſi-

Digitized by Google

uiſibile additum alteri non facit maius, hoc ipſo enim quòd indiuiſibilia ſunt, non niſi adæquatè ſe tangunt, & ita intimè penetrantur. Non eſt etiam contemnenda ratio deſumpta ex velocitate, & tarditate motus, quæ nullatenus ſaluari poteſt, ſi ſpatium conſtet ex punctis, niſi fortè motus quibuſdã morulis interrumpatur, ſed hoc pacto nunquam vnus numero motus erit altero velocior, contra experientiam, ſed ſolùm vna congeries motuum diſcretorum collata cum alia congerie, talem comparationem admittet.

107 Neque occurrunt huiuſmodi argumentis, qui inflant ſua puncta, faciuntque virtualiter diuiſibilia, & ob id præſentia ſpatio diuiſibili; nam præter quam quòd non fugiunt, ſed transferunt totam difficultatem continui ad ſpatium; nouum etiam, & inauditum eſt in philoſophia, virtualem diuiſibilitatem, quæ tanquam magna perfectio, ſubſtantijs ſpiritualibus, ob earum excellentiam tribuitur, conuenire rei imperfectiſſimæ, cuiuſmodi eſt punctum quantitatiuum: Alioquin deberent etiam cohærenter inflari inſtantia temporis, quod proinde nouo miraculo ſtare cogeretur.

108 Partes diuiſibiles in ſemper diuiſibilia ex quibus entitas continui coaleſcit aliæ ſunt aliquotæ, determinatæ, inter ſe non communicantes, & æquales vni certæ; Aliæ proportionales, indeterminatæ, communicantes, minores ſemper, ac minores; quæ primo modo ſe habent, cum ſint ad inuicem ſeparabiles, & ſubſint varijs prædicatis contradictorijs, quæ eidem ſimplici rei conuenire non poſſunt, realiter inter ſe diſtinguntur: Quæ verò inuicem communicant, ſub ea ratione ſub qua communicant, certè diſtingui non debent.

109 Cum verò partes continui diſtinctæ, modo exiſtant vnitæ, modo non, nequeunt ſe ipſis vniri, ſed hunc effectum formalem accipere debent ab vnione diſtincta, quæ quatenus vnit non poteſt eſſe formaliter diuiſibilis, ſecundùm eamdem dimenſionem, quam vnit, alioquin eius partes vniri deberent per aliam vnionem, & ſic in infinitum: Et hinc oritur neceſſitas admittendi indiuiſibilia continuatiua, inſtantia ſcilicet in tempore, mutata eſſe in motu: Puncta demum, lineas, & ſuperficies in quantitate permanente: quibus ſemel admiſſis, cum alioquin conuenientius ſit vnamquamque magnitudinem poſitiuè, & non negatiuè tantùm terminari, etiam indiuiſibilia terminatiua admitti debent.

Par-

Digitized by Google

110 Partes aliquotæ continui, idemque dico de indiuiſibilibus eas modificantibus, in quauis determinatione ſumantur, ſemper inueniuntur tot, & non plures: partes etiam proportionales, & communicantes, ſi identicè, & ſpecificatiuè ſumantur, finitæ omnino ſunt, quia identificantur cum partibus aliquotis, & finitam quantitatem conſtituunt: reduplicatiuè autem, & vt proportionales non ſunt determinatè finitæ, hoc eſt centum, vel mille, quia ſemper accipi poſſunt plures, & plures; ſed neque ſunt ſimpliciter, & categorematicè infinitæ ſecundùm multitudinem; Multitudo quippe huiuſmodi partium conſiſtit in proceſſu ad minoritatem, quia eò ſunt plures, quò accipiuntur minores, nunquam autem deuenitur ad partes infinitæ minores alijs: Sunt ergo huiuſmodi partes, quà tales, finitæ quidem, ſed indeterminatè, hoc eſt non tot, quin ex ijſdem plures, minores, & minores, ſemper tamen finitæ accipi poſſint,

111 Infinitum aliud eſt ſecundùm eſſentiam, & in omni genere, cuiuſmodi eſt ſolus Deus, aliud ſecundùm accidens, & in aliquo determinato genere, & hoc ab Ariſt. benè dicitur, *id cuius ſemper eſt vltra accipiendum*, ſeu vt ipſe declarat *cuius partibus quibuſcunque acceptis aliæ remanent accipiendæ in infinitum*: Quod ſi ita ſe habeat per ſe, & ratione ſui erit infinitum categorematicum; ſin minus infinitum ſyncategorematicum appellabitur, quòd ſecundùm eà quæ habet, eſt actu terminatum, & finitum: ſecundùm verò ea quæ habere poteſt, dicitur infinitum, quia ſemper poteſt illi fieri noua, & noua additio, ita tamen vt nunquam pertingat ad abſolutam, & categorematicam infinitatem.

2. phyſ. tex. 62. & 63.

112 Eſſe igitur in rebus infinitum ſyncategorematicum eſt planè certum, hoc enim idem eſt, ac dicere, poſſe ſemper à Deo plura, & plura fieri, quantitatem, & qualitatem magis, & magis augeri, alias, & alias perfectiores ſpecies in infinitum creari, quod nemo negauerit, qui rectè de Diuina Omnipotentia ſentiat: cum præſertim nec ipſæ naturalium cauſarum virtutes ſint ex ſe determinatæ ad certum operationum numerũ, quem non poſſint excedere.

113 Infinitum autem categorematicum tam in numero rerum, quàm in magnitudine, & intenſione omnino repugnat, vt ex multis abſurdis, quæ ex infiniti poſitione ſequuntur clarè colligitur: ſequitur enim admiſſo infinito, partem eſſe æqualem ſuo toti, infinitum claudi terminis, eſſe, & non eſſe alio infinito maius, & alia huiuſmodi, quæ quilibet ex ſe facile

Digitized by Google

cilè poteſt deducere.

114 Cuilibet corpori, modò primum orbem excipias, naturaliter conuenit eſſe in aliquo loco, maiori, vel minori, iuxtà ſuæ molis amplitudinem. Locus bene diuiditur in communem, & proprium, primus eſt, qui ſecundùm varias ſui partes multis corporibus eſt communis, Secundus autem qui vni tantùm corpori, quod exterinſecùs circumſcribit, adaptatur, & hic rectè definitur ab Ariſt. *primus terminus corporis continentis immobilis*. 4. Phyſ. 4 Concaua enim ſuperficies corporis continentis verè in ſe continet, & circumdat corpus locatum, acquiritur per motum localem, & corpus dicitur eſſe in illa, non minùs, quàm in domo, vel Ciuitate, & habet alias loci proprietates. Immobilitatem autem eſſe de conceptu loci patet, tum ex communi conceptu loci, & motus, tum quia dum corpus deſerit aliquem locum, ſtatim aliud corpus ſuccedere dicitur in eumdem locum, tum demum, quia non alia ratione vas excluditur à ratione loci, niſi quia ſub conceptu vaſis quandam mobilitatem deſignat.

115 Deſumitur loci immobilitas in ordine ad partes mundi fixas, ita vt palus v. g. in fluuio exiſtens, ideo ſemper in eodem loco maneat, licèt ſucceſſiuè fluat alia; & alia aquæ ſuperficies ipſum ambiens, quia ſemper eandem præſentiam ad partes vniuerſi fixas, nempe centrum, & polos Mundi, retinet; ſemperq; circumſcribitur ab aliqua aquæ ſuperficie, quæ eandem ſimilem pręſentiam, eandemque diſtantiam ſeruat. Ex quo fit locum duo dicere, vnum pro materiali, nempe ſuperficiem continentem, aliud pro formali, pręſentiam ſcilicet huius ſuperficiei, ratione cuius locus dicitur immobilis.

116 Corpus dum eſt in loco non implet aliquod ſpatium, à ſe, & ab extrinſeco loco diuerſum, quod vel ſit interuallum quoddam poſitiuum trinè dimenſum, vel aliqua realis capacitas receptiua corporis; nam primum eſſe non poteſt, quia alioquin daretur penetratio corporum; penetraretur enim corpus, quod dicitur eſſe in ſpatio, cum quantitate ſpatij, ſibi intimè præſenti. Secundum etiam eſt falſum, quia vel hæc capacitas diſtincta ab ipſis corporibus, eorumque localibus præſentijs, eſt aliquid poſitiuum, & tunc recurrent argumenta mox facta, vel eſt aliquid negatiuum, & tunc cum nõ poſſit eſſe aliud, quam negatio ſpatij, & corporis realis, eiuſque præſentiæ ſequitur, quod dum corpus reale ponitur in aliquo loco, ponatur in negatione ſui ipſius, quod eſt ridiculum.

Immò

Digitized by Google

117 Immò ſpatium imaginarium, tam quod fingimus occupari, & impleri à Mundo, quàm quod imaginamur extra cœlum veluti in infinitum diffundi verſùs omnem partem, eo modo quò à nobis concipitur, eſt merum ens rationis, quia à parte rei, & extrà mentem non datur, concipitur enim ad modum cuiuſdam actualis extenſionis infinitæ, & immobilis, ſiue cuiuſdam vaſtitatis, & immenſæ capedinis æternæ, increatæ, ac diſtinctæ ab omni corpore, & vbi, capacis tamen recipere in ſe hoc vel illud corpus; nulla autem huiuſmodi vaſtitas certè dari poteſt.

118 Cœterum quamuis non detur aliud reale ſpatium præter ipſam realem extenſionem corporum taliter vbicatam; nihilominus, cum ipſum corpus, eiuſque quantitas de ſe ſit indifferens ad eſſendum hic, vel ibi, in hoc vel illo loco extrinſeco, determinari debet per aliquam cauſam formalem diſtinctam, tam à corpore, quàm ab extrinſeco loco eamdem indifferentiã habente, ſeu per vbi intrinſecum, quod ſit terminus per motum localem productus, à quo habeantur effectus formales diſtantiæ, & propinquitatis corporum, non enim poteſt dari tranſitus ab vno contradictorio ad aliud, puta de non eſſe albo ad eſſe album, ſine reali aliqua mutatione, neque poteſt variari aliqua denominatio realis, niſi varietur aliqua forma; ſed dum res ab vno loco mouetur ad alium, & de non diſtanti, vel propinqua, fit diſtans, vel præſens, fit tranſitus ab vno contradictorio ad aliud, & variatur realis denominatio; oportet igitur fieri realem mutationem, & variationem realis formæ, quæ certè ſine nouo vbi producto nequit intelligi, nam ipſa entitas corporis, & ipſa entitas loci, ſecundùm ſe non variatur.

119 Quare hoc erit proprium motus localis, vt non ſolum habeat terminum intrinſecum tanquam effectum, qui per motum producitur, cum enim ſit vera actio, & operatio maximè ſenſibilis aliquem terminum intrinſecum habet, ſicut aliæ actiones; ſed præterea in his inferioribus propter diſpoſitionem vniuerſi connaturaliter loquendo habere debet alium terminum extrinſecum, non productum, ſed acquiſitum per motum, & hic terminus eſt locus extrinſecus, ideſt ſuperficies alterius corporis ambientis; motus enim localis non ſolùm, eſt quædam productio præſentiæ, ſed etiam eſt quædam adductio, ſeu coniunctio ſui ſubiecti cum alio corpore ſibi vicino.

120 Vbi intrinſecum eſt entitas, quædam modalis; ſiquidem
ſub

Digitized by Google

ſub nomine modi intelligitur omnis forma de cuius eſſentia ſit actu inhærere ſuo ſubiecto, quælibet autem localis præſentia ex ſuo eſſentiali conceptu eſt ita affixa ſuo ſubiecto, vt non poſſit neque diuinitùs exiſtere ſine illo, neque enim poteſt intelligi, quod exiſtat aliquod vbi, & aliqua præſentia, niſi exiſtat etiam aliquod ſubiectum, quod ſit alicubi præſens Inſuper ſicut non ſunt multiplicandæ diſtinctiones rerum ſine neceſſitate, ita neque modi diſtinctionis earundem, nulla autem eſt neceſſitas, quæ nos cogat diſtinguere vbi intrinſecum à mobili, magis, quàm modaliter.

121 Diuiditur vbi in ſucceſſiuum, & permanens. Vbi ſucceſſiuum eſt præſentia illa fluens, quæ dum res actu mouetur cõtinue acquiritur, & deperditur, & qua mobile in tranſitu correſpondet, varijſque ſpatij partibus ſit præſens. Vbi verò permanens eſt illa præſentia quà dum res quieſcit conſtituitur in hoc, vel illo loco, & ferè ſemper per vltimum mutatum eſſe motus acquiri conſueuit. Quamuis rigoroſè loquendo effectus formalis præſentiæ, quemadmodum, & diſtantiæ, non ab vna tantùm, ſed à duabus vbicationibus habeatur, vt cuilibet facilè poteſt eſſe manifeſtum.

122 Non poſſunt naturaliter plura corpora eſſe ſimul in eodẽ loco, vt patet tum experientia, qua paſſim experimur, vt vnũ corpus in locum alterius ſubingrediatur, oportere, vt aliud cedat; tum ratione deſumpta ex ipſa natura quantitatis, de cuius eſſentia cum ſit eſſe occupatiuam loci, ſeu habere extẽſionem molis, & magnitudinis, quæ dicitur aptitudinalis in ordine ad locum, ideo ſicut exigit habere partes diſtinctis ſpatij partibus correſpondentes, ita etiam per naturalem incompoſſibilitatem facit, quòd partes vnius quantitatis, cum partibus alterius in eodem loco ſimul non coexiſtant.

123 Hæ tamen rationes non probant id abſolutè implicare contradictionem, & ideo diuinitùs bene poſſunt duo corpora in eodem loco coexiſtere, immo de facto Chriſtus Dominus, illæſo Virginis Clauſtro egreſſus eſt ex eius vtero, vt cõmuniter Patres; In cœnaculum ianuis clauſis intrauit, Aſcendens in cœlum, ſine cœlorum diuiſione eos penetrauit, iuxtà illud ad Hebræos 4. *habemus Pontificem, qui penetrauit cælos*. Dupliciter autem fieri poſſet huiuſmodi penetratio, primò per abſolutionem vnius corporis ab occupatione loci, ſeu ab ipſa actuali extenſione in ordine ad locum, quæ eſt ipſum vbi circumſcriptiuum talis corporis, vt contingit in corpore Chriſti in Sacramento; Secundò impediente Deo ne vna

Digitized by Google

quantitas aliam à ſuo loco pellat, & producente ſimul duo vbi, extenſa quidem, & circumſcriptiua, ſed tamen omnino ſimilia in vtroque corpore, contra exigentiam ipſius quantitatis, cui Deus de abſoluta potentia poteſt non ſe conformare vt in alijs pluribus contingit.

124 Nullum corpus poteſt ſimul naturaliter eſſe in pluribus locis, vt experientia conſtat, & ratio etiam ſuadet deſumpta ex limitatione corporis, quod ſufficienter continetur ab vno loco adequato, atque etiam ex mobilitate, ſeu virtute motiua eiuſdem, ad hunc finem ei data vt ſe ab vno loco in alium transferat, cum ſimul in vtroque eſſe nequeat. Diuinitùs autem, bene poteſt idem numero corpus eſſe ſimul in duplici loco definitiuè, & in vno circumſcriptiuè, & definitiuè in altero, ſiquidem fides docet Chriſtum eſſe in Cœlo circumſcriptiuè, & definitiuè, ſeu indiuiſibiliter, ſub ſpeciebus panis, & vini, in omnibus locis in quibus Euchariſticum Sacramentum celebratur: & ratione etiam ſuadetur, quia dum dicimus aliquod corpus poni in pluribus locis definitiuè, vel in vno circumſcriptiuè, & definitiuè in altero, nihil aliud ſignificamus, niſi quod in ſe ipſo habeat duas vbicationes diuerſas incircumſcriptiuas, vel vnam circumſcriptiuam, & aliam incircumſcriptiuam; non implicat autem, quod idem corpus diuinitùs habeat huiuſmodi duo vbi, vnum enim non eſt negatio alterius, neque alterius negationem ſecum eſſentialiter trahit.

125 Et hinc probabiliter infertur poſſe etiam per diuinam potentiam idem corpus ſimul circumſcriptiuè poni in pluribus locis, non enim eſt maior ratio cur poſſit eſſe definitiuè, & non circumſcriptiuè, & ſicut de ratione illius præſentiæ circumſcriptiuæ, quam Chriſtus habet in Cœlo, non eſt, quòd ſimul eſſe nequeat alibi definitiuè, ita neque erit, quòd eſſe non poſſit circumſcriptiuè; nam contra vtrumque modum militāt eædem difficultates, immò longè difficilius, ac mirabilius videtur (humano modo loquendo) quod corpus Chriſti replicetur in pluribus hoſtijs Sacramentaliter, quam in pluribus locis circumſcriptiuè, quia difficilius eſt rem poni extra modum ſibi connaturalem, quam iuxta modum naturæ ſuæ conſentaneum.

126 Denique in contrarium nulla afferi poteſt implicantia, nam quod aiunt nonnulli adhoc vt aliquid ſit in pluribus locis circumſcriptiuè, neceſſe eſſe, quod multiplicentur quanti-

tita-

Digitized by Google

citates, vel corpora, eſt omnino falſum, quia quantitas non eſt ratio formalis vi cuius res formaliter occupet locum, ſed radicalis dumtaxat; conſtat enim corpus Chriſti in Sacramẽto reperiri cum tota ſua quantitate; & tamen locum circumſcriptiuè non occupare.

127 Ratio ergo formalis eſt vbi intrinſecum circumſcriptiuum & extenſum; vnde ad hoc, vt idem corpus replicetur in pluribus locis circumſcriptiuè, ſatis eſt, quòd in eo multiplicẽtur vbi extenſa, & præſentiæ circumſcriptiuæ, nulla autem ratio euincit id eſſe impoſſibile; non enim huiuſmodi præſentiæ ſunt adinuicem contradictoriȩ, ſed ad ſummum diuerſæ, ſeu contrariæ, & naturaliter ſolùm incompoſſibiles, quatenus nimirum, quia corpus, & quantitas eſt vna, propter limitationem ſuam ſolùm poſtulat vnicum vbi; quod vel ex eo patet, quia præſentiæ primarius effectus totus eſt poſitiuus, videlicet conſtituere corpus in hoc ſpatio; hoc autem quod eſt non eſſe in alio, eſt quid negatiuum, à negatione alius præſentiæ formaliter proueniens, quæ negatio naturaliter quidem conſequi debet, at Diuinitùs benè poteſt impediri ne conſequatur; quia non eſt nouum poſſe Deum impedire effectum ſecundarium retento primario, ſaltem quando nulla inde ſequitur contradictio, vt certè non ſequitur in præſenti.

128 Replicato corpore non replicaretur ipſum vbi; ex communi ſiquidem philoſophorum conceptu præſentiæ ſunt omninò immobiles, ac intransferibiles, & ita eſſentialiter affixæ illi determinato ſpatio in quo corpus conſtituunt, vt per eamdem eſſentiam ſuam diſtent ab omni alio ſpatio, alioquin hunc effectum formalem accipere deberent à forma diſtincta, & ſic abiremus in infinitum, quemadmodum ergo dies heſterna, quæ eſt ipſum eſſe heri, non poteſt eſſe hodie, ita vbicatio mea v. g. quæ eſt ipſum eſſe hic, & ipſum diſtare ab alio ſpatio non poteſt eſſe alibi, & ſicut vniuersè loquendo non poteſt forma recipere effectum formalem oppoſitum ei, quem eſſentialiter vendicat, non enim poteſt frigus fieri calidum, vel nigredo alba; ità cum quælibet vbicatio ſit eſſentialiter diſtans ab alio loco diuerſo, nullatenus fieri poteſt illi præſens

129 Alia verò accidentia abſoluta eiuſdem corporis, quæ non ſunt eſſentialiter affixa ad aliquem locum determinatum, replicato corpore deberent conſequenter replicari; huiuſmodi enim formæ, non conſtituuntur in loco ſe ipſis, ſed per vbi,

 & præ-

Digitized by Google

& præſentiam quantitatis, vì cuius primariò, & per ſe vbicatur ipſa quantitas, ſecundariò verò, & conſequenter reliqua ei connexa, & ratione ſuæ indifferentiæ capacia huiuſmodi effectus formalis. Neque vllatenus placet eorum ſententia, qui ſingulis entitatibus eiuſdem corporis attribuunt proprium vbi diſtinctum, nam accidentia non ſunt in loco per ſe, & primariò, ſed per accidẽs, & ſecũdariò, neq; mouētur, per ſe, ſed ad motum ſui ſubiecti; niſi velimus in vno eodemque corpore infinitas propemodum præſentias, & motus locales abſque neceſſitate multiplicare.

130 Facta hypotheſi, quod ſingulis eiuſdem corporis entitatibus proprium vbi correſpondeat, poſſet quidem abſolutè vna replicari ſine altera, ſi nimirum vni, non alteri duplex præſentia conferretur, nihilominus ex ſuppoſitione primi miraculi, adhuc connaturalius eſſet, vt replicato corpore etiam formæ ei vnitæ replicarentur à Deo, ſaltem quæ pertinent ad complementum, & perfectionem corpori debitam, vel quæ in ſuo fieri, & conſeruari non dependent ab aliqua cauſa in vno tantùm loco exiſtente: corpus enim vbicunque eſt petit eſſe completum, & perfectum; & eo ipſo quod aliqua forma vnitur alicui ſubiecto, iſta vnio, & connexio poſtulat, vt quandiù remanet vnita nunquam ſit in loco diſtanti, ſed ſemper ſubiectum eam deferat ſecum, ſaltem niſi adſit alia ſpecialis ratio, quæ oppoſitum ſuadeat, & ideo Tridentinum Concilium infert in Sacramento Altaris adeſſe ſimul Animam, & ſanguinem cum corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis, ob connexionem, & vnionem, quam cum illo habent. Seſ. 13. c. 3.

131 Corpus replicatum non poſſet in vno loco mori, in alio viuere, hic amare, ibi odio proſequi idem obiectum ſub eadem ratione formali; & vniuerſaliter accidentia, quæ propter ipſorum incompoſſibilitatem formalem, vel ſubiecti incapacitatem non poteſt ſimul habere corpus naturaliter, aut ſupernaturaliter in vno tantùm loco exiſtens, eodem modo illa habere non poterit, etiamſi in duplici loco conſtituatur: huiuſmodi enim formarum incompoſſibilitas non eſt in ordine ad ſpatium, ſed in ordine ad ſubiectum commune, quod vtrobique idem manet, cum iiſdem omnino viribus, & capacitate intrinſeca. Quod ſi non poſſe aliquid præſtari à corpore exiſtente in vno loco, non ex defectu virtutis, ſed ſolius applicationis proueniat; id præſtari poterit ab eodem corpore in duplici loco conſtituto, quia iam noua applicatio, quæ priùs deerat, per nouam præſentiam illi accedit.

132 Om-

Digitized by Google

132 Omnium animis inſitum altè videtur, quidquid eſt, hoc ipſo quòd eſt, alicubi eſſe: & abſolutè in rerũ natura nõ exiſtere, quod nuſquàm exiſtit; & ideò cum communes animi conceptiones non ſint negligendæ, omninò cenſemus implicare contradictionem, quod corpus abſoluatur ab omni vbicatione, ità vt verè exiſtat, & tamen nullibi ſit, neceſſariò enim vel habet ſuas partes actualiter extenſas in ordine ad locum, & impenetratas, vnam ſcilicet extra aliam, vel inextenſas, & penetratas vnam intra aliam; & in vniuerſum res quælibet collata cum alia, vel eſt ei proxima, vel diſtans, vel intra, vel extra illam; & certè quælibet creatura habere debet ſuam præſentiam per quam diuinæ immenſitati ſit præſens, non ergo poteſt abſolui ab omni præſentia, & vbi intrinſeco, ſicut non poteſt carere omni duratione; quamuis ab omni extrinſeco loco reali abſolui poſſit, quia in hoc nulla, vel apparens eſt repugnantia; imò de facto Vniuerſus orbis ſi ſumatur ſecundùm ſe totũ, à nullo extrinſeco loco realiter continetur.

133 Loco quodãmodò priuatiuè opponitur vacuũ quod eſt *locus carens omni corpore* non tamen propterea vacuitas eſt caren- *4. Phyſ. t. 6* tia indeterminata cuiuſcunque, & quanticunque corporis, ſed ſolũ tanti, quanti locus eſt capax; vndè irridendum eſt quod aliqui dixere, nempè intrà vacuum grani milij poni poſſe mille mundos. Vacuum in natura, nec datur, nec dari poteſt, rumpit enim mutuam illam corporum, & partium mundi arctiſſimam colligationem, in qua conſiſtit Vniuerſi vnitas, quæ & per ſe apparet maximum bonum valdè conſentaneum naturæ, & maximè ob ſui dignitatem expetibile, & eſt neceſſaria tum ad recipiendos cœlorum influxus, tum ad animalium reſpirationem, tum ad hoc vt naturales cauſæ versùs omnem partem ſuas valeant exercere operationes. Meritò igitur *1. m. t. c. 2* horreſcit vacuum natura, deditque corporibus indiſſolubilẽ illam coniunctionem, qua ſibi viciſſim adeò tenaciter adhærent, vt ſi vnum ab aliquo loco moueatur ſubintret illicò aliud ne vacuum ſpatium relinquatur, & quidem tanta ſollicitudine, vt etiam contra propriam particularem naturam cogantur aſcendere, vel deſcendere, rarefieri, & addenſari, aut etiam immobiliter hærere, prout ad vacuum euitandum opportunius viſum fuerit; vt multis experientijs eſt manifeſtum: quibus, vel ipſis oculis cernimus naturam formidine vacui humanæ arti vſq; adeò ſubijci, vt multis planè miraculis hominum neceſſitati, & voluptati cogatur deſeruire potiùs quàm tantillum vacui admittere.

134 Cau-

Digitized by Google

134 Cauſæ efficiens operationum quæ ordinantur ad auertendum vacuum non ſemper eadem eſt; nam quando operationes illæ, ſunt connaturales corpori, quod vacuum replet, ab eius virtute effectiuè prodeunt; ſi verò ſint violentæ, vel præternaturales, vel oriuntur ab eo principio extrinſeco, ex cuius actione imminet vacuum, quod ob naturalem corporum adhærentiam non poteſt vnum mouere, quin & aliud moueat; dum enim quis per fiſtulam attollit aerem, aſcendit aqua poſt aerem tam velociter quàm potens eſt vis attractiua illius, qui alioquin ſentit pondus, & reſiſtentiam aquæ, cuius proindè ſpontaneò impetu motus ille violentus non cauſatur: vel ſi natura vacuum fugiat per immobilitatem, ſeu per conſiſtentiam, tunc cauſa huius immobilitatis, vel detentionis, eſt corpus adhærens, à quo aliud impreſſa vi detentum non poteſt auelli; cum enim natura voluerit omnia corpora propter cõmune bonum ſemper eſſe contigua, debuit illis communicare virtutem ſe viciſſim detinendi, quando periculum immineat ne talis nexus diſrumpatur.

135 Ex his inferimus nulla creata virtute, ne angelica quidem, poſſe vacuum induci: quamuis enim corpora quoad motum localem dicantur angelis ſubiecta, non poſſunt tamen ea mouere niſi iuxta modum ſuæ naturæ corporeæ, ideoque non poſſunt ita mouere, vt illa inuicem penetrent; ſed etiam natura corporis petit non moueri niſi cum motu alterius ſibi contigui, ob vniuerſalem illam adhærentiam, ſeu talem ac talem naturam, & eſſentiam cuiuslibet corporis exigentem omninò ſemper immediatam contiguitatem cum aliquo altero, non niſi ergo hoc modo poterunt corpora ab Angelo moueri, & ità dum vult Angelus mouere vnum corpus alteri contiguum, vel imprimit tantam vim, quanta ſufficit ad vtrumque mouendum, vel non. ſi primum vtrumque mouebit; ſi verò ſecundum nullus ſequetur motus; eademque prorſus ratio in Angelo quoad hoc, quæ in homine militat.

136 Diuina tamẽ virtus optimè poteſt inferre vacuũ; quæ enim in hoc repugnantia apparet? Quod ſi graue aliquod aut leue in medio vacui diuinitùs conſtitueretur, moueri poſſet ad locum ſuum naturalem, haberet enim ſufficientem virtutem motiuam, & terminum etiam extrinſecum in quem tenderet vt ſupponimus; grauia autem, & leuia potiſsimum eo fine mouentur vt loca ſibi determinata acquirant. At ſi non in vacuo propriè dicto, ſed in ſpatio penitus inani collocaretur, qualeconcipimus eſſe extra hoc uniuerſum, utique immotũ conſi-

conſiſteret, quia non haberet quo determinatè tenderet. Motus localis in vacuo non foret in instanti, ſed in tempore: nam ſucceſsio in motu locali non ex ſola medij reſiſtētia prouenit, ſed præcipuè ex ipſa motus eſſentia oritur, atque diſtantia extremorum; ſi enim in vacuo facto inter cælum, & terram eſt negatio mille palmorum corporis quanti v.g. hæc ſimul tolli formaliter non poteſt per lapidem vnius palmi deſcendentem à concauo Lunæ, huiuſmodi autem extremorum diſtantia etiam in vacuo daretur, vt conſtat.

137 Res naturales ſicut in aliquo loco ſunt; ita alicui tempori neceſſariò coexiſtunt. Tempus autem aliud eſt reale aliud imaginarium. Imaginarium eſt ſucceſsio quædam infinita, & improducta quæ ab æterno ſine omni principio, & fine indiſpenſabiliter fluxiſſe concipitur; ideoque non minus quã ſpatium imaginarium figmentum rationis eſt, cui correſpondere concipimus, & per quod ex noſtro imperfecto modo intelligendi explicamus tempus reale, ſicut eadem de cauſa reale ſpatium in ordine ad imaginarium declaramus. Tempus reale eſt *numerus partium motus ſecundùm prius, & poſterius* ſeu eſt ipſa ſucceſsiua duratio, & ipſa prioritas, & poſterioritas partium priorum, & poſteriorum motus; nam ex vna parte nomine temporis omnes intelligunt durationem continuò fluentem ſecundùm alias, & alias ſui partes, ex alia uerò parte tempus in ipſo motu maximè apparet; imò ſimul percipimus uel non percipimus motum, & tempus, vt in dormientibus & ijs qui acri aliquo dolore afficiũtur Philoſophus optimè declarat. 4. Phyſ. t. 101.

138 Tempus reale diuiditur in intrinſecum, & extrinſecum. Tempus intrinſecum ſucceſsiua duratio intrinſeca in quolibet motu, extrinſecum eſt eadẽ eſt ſucceſsiua duratio alicuius motus quatenus aſſumitur ad dignoſcendam, & numerandam durationem alterius. Huiuſmodi tempus ſecundum rationem ſuam eſsentialem eſt omnino ens reale, eſt enim ipſa actualis duratio motus, quæ nemine cogitante datur; at in ratione menſuræ importat ordinem ad intellectum, à quo vltimum quaſi complementum accipit; eatenus ſiquidem habet rationem menſuræ quatenus aſſumitur, vel aſſumi poteſt ad dignoſcendam durationem alicuius, quod ſine ordine ad noſtram cognitionem, vnum ex altero cognoſcentem nequit intelligi: & certè ex hominũ arbitratu facta eſt diſtinctio annorũ, mẽſiũ dierũ &c. quibus vitã, & operationes noſtras dimetimur, in se enim tẽpus huiuſmodi diuiſionẽ nõ habet.

139 Tempus extrinſecum adhuc eſt duplex, nam aliud eſt vniuerſale, aliud particulare. Particulare eſſe poteſt duratio cuiuſlibet motus, puta pulueris, vel rotæ horologij. Vniuerſale verò eſt ſucceſſio, & fluxus motus cœleſtis, ſeu ipſa duratio motus primi cœli, quæ cum ſit notiſſima, maximè vniformis, ac regularis, & quodammodò comprehendat res omnes ſublunares ad quarum gubernationem mirè conducit, iure meritò determinata eſt tanquam vniuerſalis menſura, ac numerus noſtrarum operationum, & ad dignoſcendam morã omnium aliorum motuum irregularium: habet enim quidquid deſiderari poteſt in menſura, nam præter conditiones explicatas eſt etiam minima, quatenus motus primi mobilis velociſſimus eſt, cum quotidie ſpatio viginti quatuor horarũ integrum ſuum girum perficiat. Et hoc tempus extrinſecum eſt vnicum numero, quia continuum eſt, ac nunquam interruptum. Alia verò tempora particularia ſunt plura, & diuerſa, ſicut plures, & diuerſi ſunt motus: Vnde ſi deficeret motus cœli, deficeret quidem tempus vniuerſale extrinſecum, adhuc tamen alij motus haberent ſuum tempus intrinſecum, & benè poſſemus per extrinſecam comparationem vnius cum alio cuiuſlibet durationem dimetiri.

140 Duratio qua res permanentes decurrenti tempori coexiſtunt eſt modus, & à re durante, & ab extrinſeco tempore diſtinctus, ſicut conferendo corpus cum loco dictum eſt ſuprà de locali præſentia: eædem enim vtrobique rationes militant, quia non eſt minus res eſt indifferens ad eſſendum in hoc, vel illo loco, quam ad durandum pro hoc, vel illo tempore; & ſicut poteſt exiſtere res, & locus quin res ſit in tali loco, vnde hæc ſimultas localis ex neceſſitate inuoluit aliquid ab vtriuſque entitate diſtinctum, ita poteſt in rerum natura exiſtere Petrus, & exiſtere dies hodierna, quin ſimul coexiſtant, & potuit exiſtere tempus Adami, & Ariſtoteles, quin coexiſterent, vnde neceſſe eſt fateri hanc coexiſtentiam importare aliquid ab entitate rei durantis, & ab extrinſeco tempore diuerſum, cum præſertim etiam nullo extrinſeco tempore exiſtente, adhuc poſſet Petrus magis, vel minus durare.

141 Hic modus durationis vi cuius res permanentes conſtituũtur in tali, vel tali tempore, non eſt eſſentialiter permanens, & totum ſimul, ſed habet partes ſucceſſiuas, vnam poſt aliam plures, vel pauciores, quo breuior, vel diuturnior eſt rei duratio, ſicut enim non poteſt intelligi, quod res ſimpliciter duret ſine duratione diſtincta, ita neque quod magis, vel minus

duret

Digitized by Google

duret ſine maiori, vel minori duratione, quæ proinde non poteſt eſſe tota ſimul, & indiuiſibilis. Præterea ſi per vnũ ſimplicem modum res formaliter durat hac, & ſequenti hora, & ſic deinceps, ergo ſimul habet durationem hodiernam, & craſtinam, hoc autem eſt omnino falſum, quia in ſenſu compoſito cum duratione hodierna, eſt indifferens ad durandum cras, vndè eſt impoſſibile, quod per eam formaliter determinetur ad durandum craſtina die.

142 Non ſolùm duratio rei permanentis modaliter ab ea diſtinguitur, ſed etiam tempus non eſt omninò idem cum motu cuius eſt ſucceſſiua duratio; ſiquidem vt bene docet Ariſtoteles eſt menſura affectio, & proprietas conſequens ex motu. *Phyſ.t.c.93* Item motus eſt ſubiectum temporis, & habet ſpecies, differentias, & prædicata abeo diuerſa, nam habet differentias velocitatis, & tarditatis, habet ſpecies ſurſum, & deorſum, tempus autem nequaquam. Rurſus entitas motus eſt indifferens, vt producatur nunc, vel tunc, priùs, vel poſterius alio motu poteſt eſſe tempus realiter maius, & in æquali tempore poteſt eſſe duplo maior motus, nam ſecundùm Philoſophi doctrinã motus velox in paruo tempore multas habet partes, & motus tardior in multo tempore paucas, ergo motus, & tempus, & vtriuſque partes ad inuicem ex natura rei diſtinguntur.

143 Tempus ſemel corruptum, nec de abſoluta potentia poteſt iterum reproduci, quia quodlibet tempus, & quæuis illius pars, quæ exiſtit priùs quàm alia, v.g. dies heſterna habet ex ſuo eſſentiali conceptu, vt ſit prior alia v.g die hodierna, alioquin deberet fieri talis per aliam formam diſtinctam, & ſic tempus non eſſet ipſa ratio formalis prioritatis, & poſterioritatis, ſed procedendum foret in infinitum. Certè non poteſt reproduci res, niſi cum ſua eſſentia, ſi autem reproduceretur hodie dies heſterna reproduceretur ſine ſua eſſentia, quia prodnceretur ſine prioritate ad diem hodiernam, quam eſſentialiter vendicat.

144 Quamuis res naturales propriè, & rigoroſè loquendo intrinſecè tantùm incipiant, per *primum ſui eſſe*, nam quandiù nõ ſunt non niſi impropriè incepiſſe dicuntur: & extrinſecè deſinant per *primum non eſſe*, nam in eo inſtanti quo adhuc res eſt propriè non deſinit eſſe; nihilominus quia res ſucceſſiuæ non poſſunt incipere, aut deſinere in aliquo inſtanti indiuiſibili intrinſeco, vtpotè non habentes ſuum eſſe totum ſimul, ſed per partem, poſt partem, ita vt non detur, nec aſſignabilis ſit in illis ſimpliciter prima, aut vltima pars, quia quæli-

bet eſt diuiſibilis in infinitum; ideo ſi in inſtanti incipiunt, aut deſinunt, illud non niſi extrinſecum eſſe poteſt, nempè *vltimum ſui non eſſe*, vel *primum ſui non eſſe*, vnde non ineptè à Doctoribus duo aſſignantur modi incipiendi, & totidem deſinendi rerum; & modi incipiendi, vel deſinendi intrinſecè, ſolis rebus permanentibus tribuuntur, ita vt tempus, & omnia entia ſucceſſiua, tam in eſſe, quàm in fieri, non niſi extrinſecè incipiant, & deſinant.

DE CAELO, ET MVNDO.

145 MVndus, qui à concinnitate, & elegantia ſic dicitur, non eſt compoſitum aliquod phyſicum vna præcipua forma conſtitutum; ſed vnum per aggregationem, coaleſcens ex pluribus entibus completis inter ſe planè diuerſis, & ideò rectè definitur Compages ex cœlo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur, ſeu digeſtio, & ordo vniuerſorum, quæ à Deo, & propter Deum aſſeruantur; qui proinde non niſi impropriè, & metaphoricè dicitur anima Mundi, non quia ipſum informet, vti pars, ab hac enim labe procul abeſt diuina perfectio, ſed quia eſſe, quod ei ſemel dedit, iugi influxu continet, nè in ſuum relabatur nihilum; omneſque quę in illo apparent operationes, & motus, ipſe tum per ſe immediatè, tum per corporeas, & incorporeas naturas, vti per ſuas virtutes ſapientiſſimè regit, & adminiſtrat: Et quemadmodum anima per exteriores vitæ functiones, quas in corpore exercet, ſtatim ſe prodit, ita virtus diuina in ſuis operibus ſtatim elucet.

a. de Mun. ad Alex.

146 Secundùm omnia, quæ continet non fuit ab æterno, ſed in tempore à Deo conditus; vt ex ſacris litteris, veritatis vera parens, ac magiſtra fides catholica docet: rationes autem quæ in contrarium ab aduerſarijs afferuntur, cum nimis probent, nihil euincunt; eò enim tendunt, vt oſtendant eſſe neceſſarium, vt Mundus fuerit ab æterno, quæ tamen neceſſitas eſt planè chymerica, quia nec oriri poteſt ex parte mundi, nec ex parte Dei, non ex parte Mundi, quia ſolus Deus habet neceſſitatem eſſendi, ſolus enim habet eſſe per eſſentiam, & neceſſariò, reliqua verò ſolùm per participationem, & dependenter ab illo: Sed neque ex parte Dei, quia Deus ad extra

Digitized by Google

tra eſt agens omninò liberum, ita operans hoc vel illud, vt tamen potuerit nihil operari; cum ſit ens ſibi planè ſufficiēs, ex ſe beatiſſimum, nec vllatenus indigens ſuis creaturis.

147 Immò tantum abeſt hæc eſſendi neceſſitas à Mundo, vt potiùs oppoſitam habeat neceſſitatem non eſſendi, antequam ſit; ideſt habendi eſſe, poſt non eſſe: exiſtimamus enim nullam creaturam potuiſſe ab æterno produci, ad quod probandum ex multis rationibus, quæ afferri poſſunt, ea magis arridet, quia ſi Deus poteſt producere creaturam aliquam ab æterno, ſequitur quod in numero creaturarum poſſibilium contineatur aliqua, quæ naturà ſuà ſit æterna, & ex ſuis eſſentialibus principijs poſtulet ab æterno produci, ſaltem ſi exiſtere debeat, ſed repugnat quod aliqua creatura naturà ſuà petat eſſe æterna à parte ante, vt præter communem Sanctorum Patrum, & Theologorum ſenſum, etiam eorum, qui defendunt poſſe ab æterno produci aliquam creaturam, ex eo patet quia omnis creatura, quatenus creatura eſt eſſentialiter contingens, & defectibilis, ſaltem ex natura ſua, & eſſentialiter ſubiecta diuino dominio, ita vt quantum eſt ex vi ſuæ naturæ, & præciſa omni ſuppoſitione extrinſeca proueniente ex mera voluntate Dei, poſſit à Deo deſtrui, quandocunque, & quomodocunque voluerit: Si autem daretur aliqua creatura, quæ ex ſuis intrinſecis principijs poſtularet eſſe ab æterno iam non eſſet eo modo contingens, & defectibilis, ſed potius indefectibilis, & indeſtruibilis ab intrinſeco per totam æternitatem à parte ante, ſuppoſito, quòd ſemel exiſteret; ergo nulla creatura potuit eſſe ab æterno.

148 Sequela maioris, quæ tātū probatione eget probatur, quia ſi producatur Angelus vel homo ab æterno, ſaluatur quidem quod homo, & Angelus ex natura ſua non ſit ab æterno, ſed ſolum ex miraculo, attamen euitari non poteſt quin debeat dari aliqua duratio creata, quæ ex natura ſua ſit eſſentialiter æterna, ſi enim Angelus ille, vel homo ab æterno creatus ex vi ſuæ naturæ præciſè non eſt determinatus ad eſſe in æternitate, vtique determinari debet per aliquid à ſe diſtinctum hoc autem formale determinatiuum quomodocumque explicetur, hoc ipſo, quod eſt formale determinatiuum, & ratio formalis,, qua ille homo eſt ab æterno, neceſſariò per ſe ipſum eſſentialiter debet eſſe æternum, alioquin deberet determinari per aliud determinatiuum, & hoc per aliud, & ſic in infinitum.

149 Non dantur plures mundi, ſiuè finiti ponantur, ſiuè in-

finiti, ſed vnus ſolùm de facto eſt mundus, hic ſcilicet quem inhabitamus, vt colligitur, tum ex modo loquendi ſcripturæ, tum quia nullum habemus fundamentum multiplicandi mundos, omnes enim creati effectus non niſi in huius mundi cognitionem nos ducunt, & alioquin congruentius fuit vnum tantùm condi mundum, vt vnitati exemplaris, quod eſt diuina mens, exemplati vnitas reſponderet, & ne ex pluralitate operis, opificis pluralitas forte crederetur. Abſolutè tamen loquendo potuerunt à Deo fieri plures alij mundi in infinitū perfectiores, nulla enim eſt implicantia, nec ex parte Dei, qui eſt agens omnino liberum, & infinitæ virtutis, nec ex parte ipſius obiecti, cum nulla inde ſequatur contradictio.

Athanaſ. orat. c. idol. mundi Plato in Tymæo.

150 Mundus hic abſolutè quidē perfectus eſt, propterea enim dicitur mundus, atque etiam vniuerſum; poſſet tamen adhuc magis perfici, tum eſſentialiter quoad alias perfectiores ſpecies, neque enim Deus ſpecies omnes poſſibiles in hoc mundo produxit, tunc enim daretur infinitum categorematicum in rebus, quod tamen repugnare ſupra oſtendimus, tum accidentaliter, quoad plura, & perfectiora accidentia, quia potuit vtique Deus hominibus, & alijs rebus perfectiores facultates tribuere, plura indiuidua ſub ſpecie multiplicare, & alia huiuſmodi, quæ nemo ſanæ mentis negare poteſt.

151 Non inficiamur tamen quoad aliqua mundum hunc perfici non poſſe, nam vt rectè docet Diuus Thomas, licet poſſit Deus facere alias perfectiores ſpecies, præſentes tamen reddere nō poteſt eſſentialiter perfectiores, quia iam non eędē, ſed aliæ eſſent. Ordo item vniuerſi ſuppoſitis his rebus non poteſt eſſe melior; & tandem quoad certam quandam rerum inter ſe proportionē, non videtur poſſe notabiliter perfici hic mundus, quoad præcipuas ſui partes, alijs immutatis, abſque eo quod ordo perturbetur, ſi enim aliquod elementum, aut aſtrū puta ſol amplioris magnitudinis, aut efficaciæ fieret, reliqua admodum paterentur, & ſic debita temperies diſſolueretur.

1. p. q. 25. a. 3.

152 Eſt mundus naturà ſua incorruptibilis, ita ſcilicet vt ſtante ordinario Dei concurſu, in perpetuum durare poſſet ſub eo ſtatu, in quo nunc eſt, nihil enim eſt vnde mundi perpetuitas naturaliter interrumpi valeat: nam cæli ſunt incorruptibiles, & intelligentiæ eorum motrices fatigari nequeunt, cum ſint immateriales: Materia prima, & ipſa corruptioni non ſubiacet, nec vnam formam dimittit, quin aliam accipiat: Elemēta licèt ſecundùm partes corrumpantur, nullum tamen eorum poteſt ſecundùm ſe totum à naturali agente corrumpi, cuius

rei

rei ſignum eſt quod tot ſæculis omnia ſemper durarunt: Denique quod attinet ad mixta, eo modo quo ab initio mundi adhæc vſque tempora eorum generationes, & corruptiones præfuerunt, abſque eo quòd vlla vnquam ſpecies ſecundùm ſe totam defierit, in æternum etiam protrahi poſſent. De facto tamẽ etſi *omnia opera quæ fecit Deus perſeuerant in perpetuum*: Eccleſ. c. 3 Iſaiæ c. 30 & ita mundus ſecundùm ſubſtantiam non ſit deſtruendus, nihilominus poſt diem iudicii *erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter*, atque adeò Mundus ſecundùm accidẽtalem ſuarum partium perfectionem notabiliter immutabitur.

153 Cælum non eſt naturæ elementaris, & corruptibilis, ſed eſt corpus quoddam ſimplex à naturalibus cauſis ingenerabile, & incorruptibile, diuerſæq; naturæ à ſublunaribus, vt proinde quinta quædam eſſentia meritò vocetur: & ſufficienter id ſuadet Philoſophus, tum quia natura tribuit motum, & locum rebus iuxta naturalem earum conditionem, vnde eiuſdem naturæ corporibus eundem locum, & motum, diuerſæ verò diuerſum conceſsit, & ita cum cælum ſupra omnia hæc inferiora locum acceperit, diuerſumque motum, oportet quòd etiam naturam diuerſam ſortitum fuerit; tum quia omnes homines locum cæleſtem Deo tribuunt tanquam immortali immortale coaptatum ſit, tum quia ad ſublunarium ſeriem perpetuandam, propter quem finem cælum fuit inſtitutum, opus vtique erat cauſa influente ſtabili, & corruptioni non obnoxia, 1. Cæli te. 22. & deinceps. tum aliis rationibus ſatis efficacibus, & ingenioſis.

154 Etſi cœlum ſit corpus ſimplex, quatenus non componitur ex elementis, eius tamen ſimplicitas, non excludit compoſitionem ex materia, & forma ſubſtantiali, hoc ipſo enim quod corpus eſt, debet talem compoſitionem includere, omnis enim ſubſtantia ſeparata à materia, immaterialis eſt, ideoque intelligendi capax, cum nulla alia via ſit ad probandum, quod aliquid ſit intellectuale, niſi eleuatio à materia, & ideo nomine corporis communiter aliud non intelligitur, quàm compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali: & licet inuoluatur quantitas, hæc tamen ſolùm ſe habet conſequenter, tanquam materiæ, val rei materialis affectio, & proprietas.

155 Materia cœli intrinſecè differt à ſublunari, ſi enim cœlum nobiſcum in eadem ſpecie materia communicaret, non eſſet ex ſe incorruptibile, ſed potiùs tranſmutabile cum his inferioribus; haberet enim materiam ex ſe capacem formarũ ſublunarium, quæ capacitas, vt in his inferioribus conſtat, eſt prima interna radix omnis generationis, & corruptionis.

Et

Digitized by Google

Et ſanè quod negare nemo poteſt, facilior, & nobilior modus conſtituendi cœli incorruptibilitatem eſt talem materiæ diuerſitatem ponere, ſi aliunde non repugnet: Materierum autem ſpecifica diuerſitas nullam dicit repugnantiam, quia materia eſſentialiter conſtituitur per potentiam receptiuam formarum, & optimè intelligitur vna materia eſſentialiter alligata tali formæ, & alia alij, neque enim eſt neceſſe, quod omnis materia ſit ex ſe receptiua cuiuſcunque formæ.

156 Eàdem de cauſa cœlorum, & aſtrorum materiæ ad inuicem ſpecie differunt, alioquin poſſent inter ſe transſmutari. Formæ item cœlorum, & aſtrorum ſubſtantiales, atque adeò cœli ipſi, & aſtra inter ſe ſpecie differunt, vt patet tum ex diuerſis accidentibus, & proprietatibus quas habent, tum quia indiuiduorum pluralitas, non niſi propter ſpeciei conſeruationem, quæ in vnico indiuiduo propter eius corruptibilitatem conſeruari non poteſt, intenditur à natura, cum ergo cœli ex natura ſua incorruptibiles ſint, & alioquin ſpecierum multiplicatio magis conferat perfectioni mundi, non ſolo numero, ſed ſpecie inter ſe diſtinguntur.

157 Corpora cœleſtia cum nullis ſint organis prædita, nec aliquod exhibeant vitæ indicium, non ſunt animata; & licet motu circulari moueantur non mouentur tamen effectiuè à ſe ipſis, ſed à propria intelligentia extrinſecùs aſſiſtente. Non ſunt fluida; ſed ſolida cœli enim *ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt*, (Iob.37.) idque firmæ ſtabili, & incorruptibili eorum naturæ magis cõgruit, quàm ſcindibilitas in minutiſſimas partes, quæ fluido corpori conuenit. Et quamuis ſingula aſtra totidem intelligentijs potuiſſent eodem prorſus modo moueri in cœlo fluido, quo mouentur de facto, cum tamen ita moueantur, vt plus deſiderari non poſſit ad hoc, vt dicantur moueri quaſi claui in tabula, cui ſint affixi, dicendum eſt ita moueri, quia valde rationabile eſt, adeſſe aliquod principium intrinſecum, ratione cuius aſtra, non obſtante cœli vertigine, eundem ſemper ordinem, & ſitum adinuicem ſeruent.

158 Nullum cœleſte corpus ſimul moueri localiter poteſt, vel pluribus, vel contrarijs motibus, quia ſecus ſimul eſſet in pluribus locis, quod eſt naturaliter impoſſibile. Hinc ſi duo Angeli velint eundem ſolem ſimul mouere vnus ad ortum, alter ad occaſum, nil planè efficient, niſi vnus alterum ſuperet in vì motiua. Ad mouendum cœlum requiritur tanta vis, quanta in ſola immateriali ſubſtantia eſſe poteſt; non quia cęlum reſiſtat, ſed quia valdè vaſtum eſt, cum enim vt quis cœlum

cœlum moueat debeat per totum illud diffundere impulſum, ob continuitatem quippe partium ſolidarum non poteſt vna moueri, ſine motu totius, ideo requiritur ea vis, quæ per ſe operari poſſit in totam eam diſtantiam, atque adeò valdè magna, ſtante præſertim rapidiſſimo cœli motu. Sic ad illuminandum multum aeris, requiritur magnum luminoſum, non propter reſiſtentiam aeris, quæ nulla eſt, ſed ob diſtantiam ad quam lumen diffundi debet. Nullum cœlum à ſolo Deo mouetur, quia quæcunque poſſunt per cauſas ſecundas adminiſtrari, ea ſolet Deus adminiſtrare per illas, licèt ſimul ipſe quoque concurrat.

159 Quamuis motus circularis non ſit naturalis cœlo ratione principij actiui, quia cœlum à propria forma non mouetur, cum nullum ſibi bonum per talem motum acquirat, nec habeat partem per ſe mouentem, & per ſe motam, vtpotè non organicum; & etiam ſi haberet, non poſſet virtus corporea in ea reſidens tantam molem, ad tantam diſtantiam, tàm rapida velocitate continuò mouere: quamuis inquam hoc verum ſit, nihilominus motus circularis eſt cœlo naturalis, ratione principij paſſiui, quatenus tam materia, quàm forma cœleſtis connaturaliter exigit, ſic ab intelligentia moueri, propter bonûm totiûs vniuerſi, vnde & cœlum figuram ſphæricam aptiſſimam ad motum circularem, ſuaptè natura ſibi vendicat.

160 Supra cœlum ſtellatum non datur aliud cœlum mobile; in tantùm enim multiplicantur cœli ſupra ſtellatum, inquantum id videntur exigere varij firmamenti motus, ideſt retroceſſio trepidatio, ac motus diurnus, ſed hoc eſt falſum, nam motus firmamenti licèt videatur triplex, vnicus tamen eſt, quia non poteſt idem corpus ſimul in diuerſas partes moueri, optimè ergo poterit à propria intelligentia motrice cum ea inflexione, & modificatione fieri, quæ neceſſaria eſt ad ſaluanda ea, quæ circà cœleſte corpus apparent. An verò ſub cœlo ſtellato pro ſeptem planetis totidem cœli ſint conſtituendi, vel pòtius intra craſſitiem eiuſdem cœli totidem Zonæ, vel Zonæ, & Epicycli, prout oportet ad tuendos varios eorum motus, non poteſt certa aliqua ratione decerni.

161 Terra non mouetur ſiue circà ſolem immotum, ſiue in ſuo centro, ſed omnis mutatio apparens circà cœleſtia corpora, ipſis conuenit per verum, & realem motum: communes enim animi ſenſus cum ſint quædam naturæ voces, verum indicantes, non debent facile contemni; omnes autem

tam

tam rudes, quam docti ſentiunt, & iudicant cœleſtia corpora circumagi, terra immota. Inſuper cum terra ſit corpus ſimplex vnicum tantum ſimplicem motum nempè rectum ad centrum ſibi vendicat, cum ſecundùm aliquam ſui partem extrà illud eſt, non ergo in proprio loco conſtituta circulariter mouebitur. Et cum ſit corpus omnium grauiſſimum in infimo loco vniuerſi nempè centro mundi ponderibus ſuis librata conſiſtet, vt omittam plurimas alias rationes, tum phyſicas, tum mathematicas, quibus oppoſita Copernici ſententia conuincitur eſſe falſa.

162 Non lumine ſolùm, & motu, ſed potiſſimum per alias occultas qualitates, influunt cœli in hæc inferiora; multa quippè in profundiſſimis terræ viſceribus gignuntur à cœlo, puta metalla, quò nec motus, nec lumen, aut calor à lumine cauſatur peruenire poteſt, ob opacam terræ craſſitiem, atque frigiditatem: Et plurimi ijque admirabiles effectus in his inferioribus aſtrorum virtuti tribuuntur, vt maris refluxus, attractio magnetis, & huiuſmodi. qui fiunt etiam noctis tenebricoſiſſimæ tempore; vel aſtro in oppoſito hemiſphærio exiſtente.

163 Denique motus, cum de ſe ſit ſolùm productio vbi fluentis, non niſi ad diſtribuendos cœlorum influxus, & ad applicandam cœlorum virtutẽ huic, & illi terræ parti valere poteſt: Hæc antem virtus eſſe non poteſt ſola lux, non enim eſt credibile, tam varios, & inter ſe oppoſitos cœlorum effectus, puta Saturni, & Arcturi exorientis frigus, ſolis, & Caniculæ ardorem, & ſiccitatem, humefactionem Lunæ, ab vna eademque ſecundùm ſpeciem luce procedere, cum multò faciliùs natura, agendi inſtrumenta multiplicet, quàm ipſa agentia principalia; cum ergo tot ſint corpora cœleſtia inter ſe ſpecie differentia, varias etiam naturales virtutes, quibus in hæc inferiora corpora agere poſſent, ab authore naturæ acceperunt, quæ virtutes, licèt ſenſibus non percipiantur, ſicut lumen, & motus, quà de cauſa dicuntur occultæ, non tamen abſconduntur intellectui, eas ex notis operationibus cognoſcenti.

164 Vltrà vniuerſalem cœlorum influxum in omnium animantium generationem, per multa animantia ex putreſcente materia, tanquam propria, & particulari cauſa immediatè progignuntur, neque enim aliam cauſam aſſignare poſſumus, qua ex carnibus humanis generentur vermes, ex vino putrefacto paruæ muſcæ, ex baſilico Scorpiones, & alia huiuſmodi

Digitized by Google

di, niſi velimus dicere Deũ immediatè per ſe ipsũ tãtùm huiuſmodi effectus cauſare, qui paſſim in natura contingunt, & ità non prouidiſſe ſufficientes cauſas ſecundas. Producunt autem cœli huiuſmodi viuentia, non tanquam cauſæ principales, cum ipſi vita careant, ſed vti inſtrumentum, vel Dei, vel intelligentiæ motricis; & licèt ſecundùm Theologos Angeli in his corporibus nihil præter motum localem immediatè efficere poſſint, nihil tamen prohibet, quòd ſicut natura cœli, & ratio motus circularis petunt intelligentiam vti motricem, quia cœlum, nec à ſe moueri poteſt, nec ab alio corpore, aliter enim daretur proceſſus in infinitum; ita propter naturalem quandam connexionem inter cœlum, & intelligentiam, ſint cœlis ab authore naturæ inditæ peculiares quædam virtutes, quæ ſpeciali quodam modo reſpiciant intelligentiam, vti ſubſtantiam viuentem, ex quo proinde habeat cœlum, vt in horum viuentium productione, in virtute Intelligẽtiæ operetur.

165 Non omnia tamen viuentia vì cœlorum proximè gigni queunt, vt ſuadet tum experientia, tum exceſſus molis corporeæ, & varietas diſpoſitionis partium, & perfectiſſima organizatio, quæ in animalibus perfectis, ac præcipuè in humano corpore apparet; hæc enim nõ niſi virtute ſeminali, vitali calore, & in determinato loco elaborari poteſt. Viuẽtia ex putri genita eiuſdẽ sũt ſpeciei cũ alijs eiuſdẽ nominis, quæ ſemine procreantur, habent enim eaſdẽ operationes, eundem colorem figuram, motum, & magnitudinem, mutuam ſocietatẽ, eadem expetunt, eadem fugiunt, vt in muribus eſt manifeſtũ.

166 Ceſſante cœlorum motu deſineret etiam viciſſitudo, & alternatio generationum, & corruptionum, varietas enim temporum neceſſaria ad huiuſmodi viciſſitudinem, Veris nimirũ, Aeſtatis, Autumni, & Hyemis, oritur ex alterno Planetarum, ſolis præcipuè acceſſu, & receſſu, qui certè non eſſet quieſcente cœlo: Immò tunc hæmiſphærium, in quo ſol cõſiſteret, maximè æſtuaret, breuìque igne conſumeretur; oppoſitum verò nimio frigore tabeſceret. Quòd ſi non ſolùm motus, ſed etiam omnes cœlorum influxus, & operationes ceſſarent, præter generationum viciſſitudinem, ceſſarẽt etiam omnes illæ operationes, quæ ex certo ſitu, & ordine plurium cauſarum cœleſtium conſequuntur neque fierent ea, quorum cœlum eſt cauſa particularis, vti ſunt metalla, & genita ex putri, neque tandem vllæ viuentium generationes, quæ peculiariter cœlorum influentias requirunt, iuxta illud, *ſol, & & homo generant hominem*.

I 167 Non

167 Non ita tamen hæc inferiora corpora à cœlorum motu pendent, vt eo ceſſante omnes operationes, & motus inferiores ſtatim deſinerent, nam in primis actiones intentionales, puta viſio colorum, aliæque ſenſationes non illicò deficerent, diffuſio enim ſpecierum à luce, non à motu pendet, quæ quieſcente cœlo eſſe poſſet: item eæ actiones, quæ non ordinantur ad generationem, & corruptionem ſubſiſterent, & bene poſſet homo per liberum arbitrium quamlibet corporis partem mouere, & faber attollere malleum, & huiuſmodi; nam motus cœlorum, nec eſt totalis, & adæquata virtus agendi, vt conſtat, neque eſt conditio per ſe requiſita ad ſimpliciter operandum, cum & in his inferioribus multa corpora immota agant. Vndè optimè Doctor Angelicus hoc ſtatuit diſcrimen inter ſubtractionem diuini influxus, & deſitionem motus cœleſtis, quod ex illo ſequitur deſitio rerum in momento; ex hoc verò tantùm in tempore. immo ceſſante etiam omni penitus cœlorum influxu, nedùm motu, ad breue ſaltem tempus hæc inferiora durarent in ſuo eſſe, ſuaſque natiuas facultates retinerent; non enim pendent à cœlo, vti creatura à Deo, vel lumen à Sole, & ita cum multa inferiora habeant ſufficientem virtutem ad proprios effectus ſuppoſito Dei concurſu, vt animal ad motum progreſſiuum, ignis ad ſtuppæ combuſtionem, lapis ad deſcenſum, &c. hæ, & aliæ huiuſmodi operationes, omni etiam cœlorum influentia deſinente, non illicò ceſſarent.

168 Aſtra in humanam voluntatem directè non influunt, multòque minus vllam ei neceſſitatem imponunt: ſubiectum enim alterationis corporeæ, quantum eſſe debet, & extensũ, vnde nulla ſubſtantia ſpiritualis, qualis eſt anima, ab agente corporeo cuiuſmodi, eſt cœlum immediatè, & directè pati poteſt, & ita nec poterit à regno ſuæ libertatis expelli, qua præditam eſſe animam experientia ipſa demonſtrat. Verum tamẽ eſt mediatè, indirectè, & per accidens poſſe ſydera in animũ influere, quatenus influunt in organa corporis, ex quorum diſpoſitione, ob naturalem quandam ſimpatiam, anima diuerſimodè in hanc, vel illam partem inclinatur quidem, ſed non propellitur: Sunt enim ab authore naturæ condita aſtra, ſicut & vniuerſa corporea natura, vt homini famulentur, ac proinde non aſtra ſapienti, ſed *ſapiens dominabitur aſtris*.

DE

Digitized by Google

DE RERVM NATVRALIVM ORTV, ET INTERITV.

169 NAturalia corpora non eodem ſemper modo accidentaliter tantùm mutari manifeſtiſſimũ eſt, etenim non ſolùm datur mutatio in qua non ſimpliciter fieri, aut deſinere, ſed fieri talia, vel deſinere eſſe talia dicantur, vt dum lignum fit calidum, & homo fit æger, vel ſanus: verùm etiam extat mutatio, qua ſimpliciter dicuntur fieri, aut corrumpi, vt in ligni combuſtione, atque hominis, equi, aliorumque viuentium, ortu apparet, vbi videmus perire proprietates, & operationes præcedentium rerum, & aliàs nouas ſuccedere. Et quidem cum primo modo dumtaxat res naturales mutantur, alterari meritò dicuntur, cum verò ſecundo modo, ſubſtantialiter gigni, aut corrumpi: Vnde optimè generatio ſubſtatialis, prout de facto, & naturaliter exercetur, & ab alteratione diſtinguitur, definitur ab Ariſtotele quòd ſit *mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem*, & ſenſus eſt, alterationem eſſe quando manente eodem compoſito ſubſtantiali, quòd appellatur ſubiectum ſenſibile, & vt quod, fit mutatio tantùm in paſſionibus accidentalibus: Generationem verò eſſe quando non manet idem ſubiectum ſenſibile, quod eſt ſubſtantiale compoſitum, ſed vnum de nouo fit & aliud perit. 2. de gene. t. 25.

170 Ratio mutationis, & conuerſionis, ſemper inuenitur in generatione ſubſtantiali, naturali modo facta, quia agens naturale nunquam inducit formam in materiam, quin priùs in materia præceſſerit eiuſdem priuatio, & alia ſubſtantialis forma, quæ eſſe deſinat, & ita ratione vtriuſque ſubiectũ mutatur: Rurſus omnis generatio naturaliter facta eſt tranſitus vnius termini poſitiui in alium poſitiuum, vnius ſubſtantiæ in aliam in eodem communi ſubiecto, atque adeo eſt conuerſio, quæ nihil eſt aliud, quàm tranſitus vnius rei in aliam, ſeu deſitio vnius ex poſitione alterius ipſi incompoſſibilis.

171 Nihilominus abſolutè, & ſimpliciter eſſe poſſet generatio, ſeu productio ſubſtantialis à creatione diuerſa, abſque mutatione, & conuerſione; quas proinde vt ſic præcisè eſſentialiter non includit, cum tota eius ratio ſaluetur præcisè in

hoc, quod ſit productio termini ſubſtantialis dependenter à ſubiecto, vt videre eſt in prima cœlorum, & elementorum productione à Deo facta. Hac de cauſa definitio Ariſtotelica, vel non conuenit generationi ſecundùm ſuam Metaphyſicam formalitatem ſpectatæ, ſed ſolùm Phyſicè, & prout naturaliter exercetur; vel debet ita exponi, vt dum generatio dicitur mutatio totius in totum &c. non fiat ſenſus abſolutus, quaſi ſemper generationi debeat eſſe adnexa ratio mutationis, & conuerſionis, ita vt aliter illius conceptus non ſubſiſtat, ſed veluti conditionatus, ita vt hæc ſit ratio, & eſſentia generationis, prout ab alteratione diſſidet, vt ſi ante illam ſubiectum inueniatur in actu, ſeu ſubſtantiali aliqua forma actuatum, debeat eam cum proprijs accidentibus deponere, dum nouum compoſitum generatur.

172 Quando ratio mutationis, & conuerſionis rè ipſa generationi adnectitur, non niſi vnus actus phyſicè interuenit, qui tamen iuxtà diuerſa connotata, diuerſas ſortitur denominationes. Eſt autem generatio ſubſtantialis vera actio à tota præcedenti alteratione, quam naturaliter præſupponit omnino diſtincta, tum quia nihil poteſt præſupponere ſe ipſum; tum quia habet diuerſum omnino terminum, accidens enim quod eſt alterationis terminus, toto genere differt à ſubſtantia, ad quam generatio terminatur; tum demum quia huiuſmodi actiones in multis alijs prædicatis penitùs diſcrepant.

173 Terminus ſubſtantialis generationis eſt duplex, nam alius eſt terminus totalis, denominationis, & ſe habet vt quod, alius eſt formalis immediatus, & vt quo. Ratio primi termini, neque formæ, neque vnioni, ſed toti compoſito conuenit, neque enim bos dicitur generare vnionem, vel animam bouinam ſed bouem, nam in vniuerſum actiones, ſicut & paſſiones rebus completis denominatiuè tribuuntur, quæ ſicut propriè, & per ſe ſunt, ita & fieri, & operari dicuntur. Terminus verò formalis immediatus, & vt quo eſſe non poteſt ipſum compoſitum, quod ſecundùm ſe totum immediatè non fit, cum nec materia ſit generabilis, nec anima rationalis in homine, ſed aſſignari debet aliquid in ipſo compoſito, quod formaliter, & immediatè per actionem generatiuam attingatur, & à quo totum compoſitum poſſit denominari genitum; id autē, nec materiæ, nec formæ conuenit, ſed vnioni dumtaxat, quā proinde dicimus eſſe terminum formalem generationis, vt generatio, & productio compoſiti eſt, hæc enim eſt, quæ im-

mæ-

Digitized by Google

mediatè, & per ſe primò ordine executionis per generationẽ producitur, & ratione cuius totum ipſum produci dicitur, etiamſi nihil aliud gignatur, vt patet in generatione hominis, eiuſdemq; reſurectione; & qua poſita implicat non eſſe totum. Admittimus tamen formam ſubſtantialem eſſe terminum formalem generationis, ſi ſpectetur generatio, non vt productio compoſiti eſt, ſed ſub ratione mutationis, vel conuerſionis, aut eductionis.

174 Materialis forma eadem omnino actione educitur è ſubiecto, eidemque vnitur, implicat enim quod per aliquam actionem educatur forma e ſubiecto, eidemque non vniatur, nam educi eſt fieri inexiſtenter ſubiecto, & ſubiectum non concurrit, niſi ad formam ſibi inexiſtentem eam paſſiuè ſuſtentando: Neque diſtincti termini inferunt actiones diuerſas, quando vnus terminus eſt ipſe modus eſſendi, quo alius à cauſa dependet. Ex hoc autem non ſequitur terminum formalẽ generationis cõpoſiti materialis eſſe formam; nã licèt eadẽ actio producat, & formã, & vnionem, nõ habet tamẽ quod ſit productio cõpoſiti quatenus attingit formam, ſed quatenus attingit vnionẽ, vt vel ex eo cõſtat, quia ſi attingeret formam, non attingẽdo vnionem, nullatenus diceretur generatio compoſiti; ècontra ſi produceret vnionem, non producendo formam, adhuc per eam totum compoſitum eſſet genitum.

175 Generatio vnius eſt corruptio alterius, & è contra concomitanter ſcilicet cauſaliter, & identicè, ſeu denominatiuè, ſic prouidente natura mundi perennitati; idque oritur tum ex parte materiæ, quæ nec abſque omni forma conſiſtere poteſt nec ſimul duabus ſubeſſe; tum ex parte agentis, cuius primarius finis eſt agere, ac ſibi paſſum aſſimilare, tum ex parte formæ genitæ; cuius effectus formalis ſecundarius eſt receſſus oppoſitæ formæ. Quamuis autem generationem vnius ſemper comitetur corruptio alterius, tanquam effectus ſuam cauſam, imò, cum non aliter agens expellat vnam formam, quàm introducendo aliam oppoſitam, eadem actio quatenus productiua compoſiti ſubſequentis ſit generatio, quatenus verò deſtructiua præcedentis corruptio denominetur; nihilominus formaliter valdè inter ſe differunt generatio, & corruptio; illa enim eſt mutatio acquiſitiua, ſeu tranſitus de non eſſe, ad eſſe; hæc deperditiua, ſeu tranſitus de eſſe ad non eſſe, illa eſt productio, hæc deſitio formæ ſubſtantialis, vnde nec eſt formaliter vera, ac poſitiua actio, quam implicat per ſe primò terminari ad non eſſe rei, ſed eſt potius deſitio actionis, ac

ceſſa-

Digitized by Google

ceſſatio influxus, quo ante ab agente res in ſuo eſſe conſeruabatur; & ſic in alijs prædicatis generatio, & corruptio formaliter inter ſe oppununtur.

176 Generationes rerum per ſe primò intenduntur à natura, vtpotè quid valdè bonum, per ſe expetibile, & ad Vniuerſi pulchritudinem directè pertinens; at corruptiones, cum formaliter malum quoddam ſint, indirectè ſolùm ſecundariò, & conſequenter, quatenus ſine illis ſtare non poteſt generationum viciſſitudo, & per comparationem ad huiuſmodi defectus, ſpecierum naturalium pulchritudo magis eluceſcit, atque adeò quatenus bonitate aliqua veluti extrinſecùs veſtiuntur.

177 Accidentium, quæ fuerunt in corrupto, aliqua remanent etiam in genito, vnde in ſubſtantiali corruptione nunquam datur reſolutio vſque ad materiam primam; nam quantitas, & aliæ præuiæ diſpoſitiones, quibus materia de ſe indifferens præparatur, & diſponitur ad nouæ formæ receptionē, nō debēt hac adueniente perire; cauſa enim in actu, & effectus in actu ſimul eſſe debēt, forma autē, cū recipi nō poſſit in ſubiecto indiſpoſito, in aliquo genere cauſæ pendet à diſpoſitionibus ab agente inductis; imò hæ ſecundùm plures Thomiſtas, vel harum aliqua eſt inſtrumentum, quo principale agens formæ productionem proximè, & immediatè attingit. Et certè abſurdum per ſe apparet, naturam in viuentium præſertim procreatione, tanto labore materiam præparare; tanta induſtria organa corpuſculi digerere; eaque varijs, pro partium varietate, ornare diſpoſitionibus, vitæ functionibus maximè adaptatis; ſi deinde in ipſo generationis inſtanti, quo tandem aliquandò tanti conatus finis, ac meta aduenit anima, tot dierum labor perire debet, nouam ſecum ſupellectilem aduehente Anima, ac veluti priorē dedignante.

178 Præterea diſpoſitiones, quæ ſunt in materia ante inſtans generationis, cum non ſint incompoſſibiles, ſed maneant cum forma præcedenti, non tollunt diſpoſitiones ſufficientes ad hoc vt talis forma conſeruetur in materia, ergo in ipſo generationis inſtanti pro priori naturæ compleri debet alteratio per inductionem vltimæ diſpoſitionis incompoſſibilis cum gradu oppoſitæ diſpoſitionis neceſſario adhoc, vt præcedens forma in materia conſeruetur. Denique ipſum, quod neminem fallit, ingenitum lumen intellectus ſenſuum experimento edoctum vnicuiq; dictare videtur, eamdem eſſe magnitudinem, colorem, ac figuram in herba viridi, ac ſicca, eaſdem-

eaſdemque numero cicatrices, dimenſiones, partium terminationes, &c. in homine, ac in cadauere, & ſic de alijs.

179 Qui oppoſitum opinantur falſo nituntur fundamento, exiſtimant enim accidentia materialia, tam communia, quam propria recipi in toto compoſito, quo proinde corrupto, & ipſa perire debeant ne migrare cogantur de ſubiecto in ſubiectum. Sed hoc fundamentum nõ ſubſiſtit; nam ea accidentia, quæ diſponunt materiam ad formam, hoc ipſo, quòd diſponunt, non poſſunt in forma recipi, alioquin in eodem genere cauſæ materialis, & ſubiectiuæ forent ea priora ſimul, & poſteriora, & per conſequens neque ſubiectari immediatè, & inhæſiuè in toto compoſito. Rurſus diſpoſitiones formæ contrariæ, vt calor aquæ, recipi non poſſunt in ipſa forma aquæ, nullum enim contrarium in ſe recipit qualitatem ſibi oppoſitam, cum potius eam à ſe repellat. Præterea cum materia ſufficiat ad ſuſtentanda huiuſmodi accidentia, vt patet in homine, cuius quantitas, ac materiales qualitates in forma vtpotè ſpirituali certè recipi non poſſunt, fruſtra multiplicantur alia ſubiecta.

180 Totum ergo compoſitum reſpectu huiuſmodi accidentiũ materialium eſt ſubiectum ſolùm denominationis, & vt quod quatenus, quæ conueniunt partibus tribuuntur toti præter eſſe partem, non inhæſionis, & vt quo, nam quantitas recipitur in materia, cuius è coæua proprietas ingenerabilis, & incorruptibilis non minus, ac ipſa materia, vtpote vniuerſalis diſpoſitio ad omnes formas, omniquè contrario carens, reliquæ verò qualitates communes ſenſibiles immediatè ſubiectantur in quantitate, & media quantitate in materia, vt ſatis efficaciter colligitur ex Myſterio Euchariſtico, videmus enim ſpecies conſacratas ita alterari, ac ſi haberent ſubiectum ex quo nouæ qualitates educerentur, hoc autem non poteſt eſſe niſi quantitas, ſecus enim quoties illæ ſpecies amittunt, vel acquirunt aliquam qualitatem virtute agentis naturalis qualitas illa independenter ab omni ſubiecto à naturali agẽte crearetur, vel redigeretur in nihilum. Inſuper niſi omnes illæ ſpecies ſint colligatæ, & vnitæ in aliquo communi ſubiecto, quod aliud eſſe non poteſt, quàm quantitas, ſe habebunt, tamquam ſcopæ diſſolutæ, & ità nulla erit ratio cur ad motum vnius omnia moueantur.

181 Effectus ſemel corruptus diuinitùs quidem reproduci poteſt; nam & *ſi in nihilum redigeremur facere Deus poterit nos eſſe, ſicut & fecit nos eſſe cum antea nunquam fuiſſemus*, Quæ *Aug. ſerm. 19. d. verbis Apoſt.*
enim

enim afferri poteſt implicantia? Naturaliter tamen non poteſt idem numero redire, vt ſuadet tum multorum annorũ experientia, vnde omnibus eſtinctis ſapiẽtibus perdifficilis viſa eſt mortuorum reſurrectio, quam proinde Sancti Patres, vt proprium diuinæ Omnipotentiæ opus prædicant, & tamen ſi quid corruptum naturaliter reproduci poſſet, maximè eſſet homo, cuius forma poſt mortem perſeuerat; tum communis omnium gentium conceptus, qui ſufficiens ſignum diſtinctionis inter duas res afferre ſe arbitrantur, cum oſtendunt vnam eſſe productam poſt alterius corruptionem, vnde inualuit vulgatum philoſophorum axioma, à priuatione ad habitum non datur regreſſus. Ratio huiuſmodi naturalis impoſſibilitatis nequè penitus ex natura cauſæ, nequè ex intrinſeca effectus eſſentia ſumi debet, nequè enim poſt corruptionem eſſentia effectus eſt reddita impoſſibilis, aut extincta intrinſeca vis, & potentia cauſarum; ſed ex lege à Deo ſtatuta, ſatis tamen conformi naturis rerum; nam virtus cauſarum eſt virtus fœcunda, quæ non ſolùm vnum, ſed plures, ac varios poteſt effectus producere. Quamuis autem ad Deum pertineat decernere quiſnam effectus in indiuiduo producendus ſit, eſt tamen valdè conſentaneum fœcunditati naturæ, vt non tribuat influxum ad eundem effectum, ſed legem ſtatuat, qua nunquam velit ad eundem effectum producendum bis concurrere, ſed ſit determinatus ad nouam ſemper veluti ſobolem cum cauſis ſecundis procreandam.

182 Alteratio latiſſimè ſumpta, vt à ſubſtantiali generatione differt, importat mutationem ad omnem formam accidentalem; propriè tamen eſt motus ad qualitatem, & hæc alia eſt perfectiua, alia corruptiua; perfectiua ad qualitates ſubiectum perficientes terminatur; at corruptiua alteratio, quà propriiſſimè res dicuntur alterari, tendit ad ſolas qualitates diſponentes ad generationem, & corruptionem ſubſtantialem, ad quam ſuaptè natura ordinatur; vnde definitur motus ad qualitatem ſenſibilem habentem contrarium. Vtcumque ſumatur alteratio eam dari nemo negabit, qui ſenſu non careat, vnde id niti probare ſuperuacuum eſt.

183 Terminus alterationis eſt qualitas, cui præter extenſionẽ quam communem habet cum alijs accidentibus materialibus, conuenit tanquam propria, & peculiaris perfectio, eſſe intenſionis capacem, ſeù magis, ac magis perfici in eadem parte ſubiecti. Fit autem qualitatis intenſio, non per productionem perfectioris qualitatis antiqua deperdita, quod enim

ten-

tendit ad alterius perfectionem illud deſtruere non debet; neque per remotionem contrarij, cum intenſio ſit motus acquiſitiuus, non per ſe primò deperditiuus, & multæ qualitates intendantur, quæ contrarium non habent; & hoc ipſo, quòd qualitas contraria poteſt magis, ac minus expelli, iam non poſſit eſſe ſimplex, & indiuiſibilis; neque per modum maioris radicationis, vtcumque explicetur, quia vel ille modus manet cum priori modo, vel non, ſed perfectiori adueniente deſinit imperfectior, ſi ſecundùm, dici etiam poſſet perfectiori qualitate adueniente, præcedentem deſinere, vtrobique enim militant eædem ferè difficultates; ſi verò primum ergo iam in intenſione multiplicantur entitates, & minuuntur in remiſſione, quod ſi non putatur abſurdum in illis modis, cur putetur in gradibus caloris?

184 Fit ergo intenſio qualitatis per additionem gradus ad gradum, remiſſio verò è contra per detractionem gradus à gradu, ita vt intenſio qualitatis ſit quædam latitudo partium ipſius, quæ quò magis multiplicantur in eadem parte ſubiecti, eò magis qualitas intendatur, ſicut qualitatis extenſio fit per diffuſionem qualitatis in diuerſis ſubiecti partibus. Hæc ſententia per ſeipſam videtur ſatis conformis lumini rationis, & communi exiſtimationi hominum: & præterea ſuadetur experientia, & ratione, quia dum manus iam calida, iterum admouetur igni, & augetur calor, certè non ſentit manus ſolùm quendam modum caloris, ſed verè ſentit nouum calorem non minùs quàm ſentiret, quando primò calefacta fuit; & actio illa, qua ignis intendit calorem, vtiquè calefactio eſt non minùs quàm eſſet calefactio, ſi manus nondum calida fuiſſet, & ignis adhuc retinet virtutem producendi calorem in manu, non minus, quam habebat anteà: ergò per hanc actionem verè producitur nouus calor. præterea non poteſt ſubiectum fieri lucidum niſi recipiendo entitatem lucis: ergo neque poteſt fieri magis lucidum, niſi recipiendo lucem entitatiuè maiorem, ſicut enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Demum intelligi non poteſt, quod alia ratione, quam explicata fiat intenſio, putà per ablationem vnius modi, & ſucceſſionem alterius, quia vt bene argumentatur Scotus pro eo inſtanti, pro quo virtus intenſa operatur debet exiſtere intenſio illa, vi cuius operatur, ſed ſi deberet deſtrui prior intenſio, & alia ſuccedere non poſſet hoc eſſe verum, vt patet exemplo habitus, qui eſt quædam qualitas, habitus enim intenſus pro eo inſtanti eo-

dem, quo cauſat actum, magis intenditur ab eodem actu, ſed per aduerſarios, dum magis intenditur qualitas, deperditur prior intenſio, ergo pro illo inſtanti pro quo habitus intenſus cauſat actum, non exiſtit illa intenſio vi cuius actus cauſatur, quod tamen eſt impoſſibile.

185 Gradus qualitatis intenſæ non ſunt heterogenei, ſed omninò inter ſe ſimiles, & homogenei, nam ex vna parte, aliter difficilè ſaluatur vnitas qualitatis, res enim diuerſæ, quatenus tales, continuari nequeunt, & ægrè intelligitur, quod qualitas componatur ex partibus diuerſis inuicem ſubordinatis, & hæ ex alijs eodem modo ſubordinatis, & ſic in infinitum: Ex alia verò parte qualitas benè intendi poteſt per gradus homogeneos, plures enim gradus eiuſdem qualitatis omnino ſimiles, poſiti in eadem parte ſubiecti, optimè eam poſſunt reddere intenſiorem, non modo in ſe, verùm etiam ad ſenſum; ſi enim qualitas per ſubiectum aliquod diffuſa, etiam nulla facta propria intenſione, per ſolam compreſſionem, ac veluti maiorem partium ſubiecti approximationem maior, & intenſior apparet ad ſenſum, idem enim calor magis ſentitur in ferro candenti, quam in flamma, idem rubor in vino puro, quam in diluto: certè multò magis ſi ijdem omnes gradus qualitatis in eadem parte ſubiecti ponantur, fiet qualitas intenſior, ac proinde non ſolùm ad ſenſum, ſed etiam re ipſa, eamque intenſionem facient, quàm ſenſu experimur; nos enim aliam non percipimus, quam qua vnum corpus apparet alio magis rubrum calidum, &c. atque adeò fruſtrà heterogenei gradus exiguntur.

186 Alteratio rigorosè ſumpta pro motu ad qualitatem ſenſibilem diſponentem ad generationem, & corruptionem, non eſt mutatio inſtantanea, ſed ſucceſſiua, tum ex parte ſubiecti, cuius vna pars poſt aliam ſucceſſiuè alteratur, tum ex parte termini, cuius vna pars poſt aliam ſucceſſiuè producitur; qualitas quippè, quæ in alteratione producitur, habet quandam partium latitudinem diuiſibilem in infinitum, tam ſecundùm extenſionem, quàm ſecundùm intenſionem & producitur in ſubiecto extenſo contraria qualitate affecto, conſimilem ſuarum partium latitudinem obtinente, cui ſubiecto agens extrinſecum non eſt æquè applicatum, vt ſupponimus; exiſtentia autem contrarij impedit ſimultaneam qualitatis introductionem, vt experientia eſt manifeſtum.

187 Pro eo tempore quo fit, alteratio eſt motus continuus, non interruptus, neque enim fit in inſtantibus interpolatis per mi

nima

nima qualitatis, & ſubiecti, tum quia etiam tempore illo, quod inter vnum, & aliud inſtans mediat, agens naturale, eſt debitè applicatum, nec poteſt vllatenus determinari cur, aut quanto tempore quieſcere debeat, tum quia non dantur iſta minima, cum quælibet pars tam ſubiecti, quam qualitatis ſit diuiſibilis in infinitum, habeatque contrarium pariter in infinitum diuiſibile, ex cuius reſiſtentia nõ poteſt pars qualitatis tota ſimul induci; tũ demũ quia aliter alteratio eſſet congeries multarum mutationum diſcretarum, non autem vnus continuatus motus contra ſenſum, quem relinquere non debemus propter rationes apparentes.

188 Qualitates, & alterationes contrariæ naturaliter ſimul in eodem ſubiecto eſſe poſſunt in gradibus remiſſis, vt patet in aqua tepida, non tamen in gradibus intenſis; hoc eſt vltra eã intenſionem, quam ex limitatione tum ſubiecti in recipiendo, tum agentis, & formæ in efficiendo, & exigendo; qualitates corporeæ, ita ſibi determinant, vt excedere non valeant, & quæ à philoſophis loquendi gratia in octo partes æquales, quæ gradus vocantur diſtributa eſt. Quare inter qualitates cõtrarias ſemper expleta erit latitudo octo graduũ, vel ex vna ſolũ qualitate, vel partim de vna, & partim de alia, nõ tamen vltra dictam latitudinem cõtrariæ qualitates ſe cõpatiuntur in eodem ſubiecto, tum quia experimur, quò magis aqua calefit eò minùs frigidam eſſe, ac proinde quantum caloris inducitur, tantum frigoris recedere; tum quia aliter ceſſaret generatio, & corruptio rerum, ſi in quacunque intenſione ſimul manere poſſent diſpoſitiones contrariæ, immò hoc ipſo contrariæ non eſſent, tum demum quia non poſſent concurrere ad miſtionem, in qua refrangi debent.

189 De abſoluta potentia poſſunt contrariæ qualitates in quacunque intenſione ſimul eſſe in eodem ſubiecto, ſicut poſſunt naturaliter in gradibus remiſſis, nam maior capacitas concedi debet in ſubiecto in ordine ad agens ſupernaturale, quàm ſit in ordine ad naturale, nec vlla afferri poteſt implicantia, ratione cuius nequeat Deus continuare ſuum influxum cõſeruatiuum erga vnum contrariũ dum aliud inducitur. Quoniam autem talis influxus naturaliter ceſſare deberet, ideò non per naturalem, ſed per obedientialem potentiam ſubiectum vtramque qualitatem ſuſtentaret. Quod dictum eſt de contrarijs qualitatibus, idem de alterationibus contrarijs dici debet, tota ſiquidem actionum repugnantia, oritur ex oppoſitione terminorum, cum eatenus ſimul

Digitized by Google

exerceri non poſſint duæ actiones in eodem ſubiecto, quatenus ſimul eſſe non poſſunt formæ ad quas terminantur.

190 Simile in qualitate, & gradu qualitatis,non poteſt agere in ſimile, tum quia aliter ageret ſupra ſuam intenſionem, & virtutem, non ſolùm enim deberet producere aliquem gradũ, ſed præterea addere præcedentibus, atque adeò cauſare complexum ex pluribus gradibus quàm in ſe habeat, producendo vnionem intenſiuam quà formaliter careret; tum quia quando paſſum eſt ſimile agenti iam præſupponitur habere illum effectum, quem tale agens producere poteſt, omne ſiquidem agens naturale vniuocum talis eſt naturæ, & eo fine agit, vt aſſimilet ſibi paſſum, ſi ergo hoc iam ſit ſimile, non eſt cur agens laboret amplius, alioquin nunquam terminaretur actio agentis, quantumuis debilis, ſaltem vſque ad octauum gradum; tum demum quia id ipſum experientia conſtat, quà videmus duas aquas æqualiter frigidas ſi inuicem applicentur non ſe magis infrigidare.

191 Hinc autem ſequitur nec poſſe agens vniuocum in ſe ipſum agere,v.g. aquam calidam vt quatuor non poſſe ex vi caloris quem habet ſe magis calefacere, vt enim patet ex rationibus ſupra adductis, hæc eſt natura agentis vniuoci, vt agere debeat in ſubiecto diſtincto, ac diſſimili. Neque obſtat id quod in Antiperiſtaſi euenire quotidie cernimus, non enim ex eo prouenit, quia idem actione vniuoca in ſe ipſum agat, ſed aliunde, pro cuius explicatione,ſupponendum eſt inter corpora naturalia, ſolere eſſe permiſtas aliquas partes affectas diſſimili, & contraria qualitate magis, & minus, quæ naturaliter aptæ ſunt, vt ſimiles cum ſuis ſimilibus congregentur, & à diſſimilibus, ſeu contrarijs fugiant, vt multis experientiis clarum eſt. Hoc ergo modo contingere poteſt intenſio qualitatis per antiperiſtaſim,quia dum ſubiectum aliqua qualitate affectum obſidetur à ſuo contrario, v.g. frigidum à calido, partes calidiores frigido intermixtæ,quæ fugiunt frigidũ & quærunt calidum, exeunt foras ad calidum circumſiſtens: E contra verò partes frigidiores fugientes ab obſidẽte calido, dum quærunt locum ſibi tutiorem, colliguntur, & ita augetur, & intenditur frigus in ſubiecto.

192 Agens naturale non poteſt agere in paſſum diſtans,aliquam ei qualitatem imprimendo, niſi actione conſimili agat in medium, itaut tota actio agentis ſit continua vſque ad paſſum diſtans, & contigua, ſeu proxima ipſi agenti, ſicut enim non poteſt aliquod agens exiſtens in vno loco tranſire ad alium,niſi

tran-

Digitized by Google

tranſeundo per medium, ita neque poterit producere qualitatem, & effectum in loco diſtanti, niſi tranſmittendo actionem per medium, actio quippe cum ſit quædam coniunctio cauſæ cum effectu, vel paſſo, debet eſſe aliquo modo coniuncta, ſaltem per approximationem, & contiguitatem cum ipſo agente, cuius eſt operatio, & ad quod dicit ordinem eſſentialem; nam virtus agentis actuat quodamodò potentiam paſſi, ſimilē ei formā effectiuè imprimendo. Hinc experimur interpoſito inter nos, & ſolē aliquo tenuiſſimo pariete, calorē quidē vtpote per parietem tranſmiſſum ad nos peruenire, non tamē lucem, & in vniuerſum omne obſtaculum impediens, ne agēs vlteriùs agat in medium, impedire etiam ne agat in diſtans. Poteſt tamen agens agere in ſubiectum remotum, ſimul agendo in medium, vt poteſt quilibet dignoſcere, qui ante os fornacis ſe ſiſtat; ſentiet enim maximum in sè calorem produc ab ipſo igne fornacis.

193 Sunt etiam agentia naturalia in producendis qualitatibus determinata ad operandum intrà certam latitudinem, ſeu proprię actiuitatis ſphæram, quam non poſſunt excedere. Nō eſt autem verum, agens intra hanc ſphęram, producere ſolùm qualitatem in aliqua parte, & hanc in alia, vſque ad finem ſphęræ, nimis enim limitaretur virtus, & efficacia agentis, & multiplicarentur actiones infinitæ inter sè diuerſæ abſque vlla neceſſitate. Ipſum igitur agens regulariter, & ordinariè loquendo transfundit actionem per totam ſuam ſphęram, & quidem cum vniformi quadam difformitate, quatenus fortiùs agit in propinquum quàm in remotum; quod tamen non debet vſque adeo rigoroſè intelligi vt nulla ſit pars ſpatij in qua ſit æqualis intenſio; eſt enim inperceptibile nullam eſſe ſubiecti, vel ſpatij partem in qua reperiatur determinata qualitatis intenſio, puta vt quatuor, vel vt ſex, vel vt ſeptem &c. quod tamen ſequitur in oppoſita ſententia, ſed opinamur exerceri quidem regulariter ab agente naturali actionem intra ſuam ſphęram vniformiter difformiter per partes aliquotas, non tamen proportionales; quamuis enim ſępe doceat experientia, quòd agens naturale validiùs agit in aliquo ſpatio vicino, & debiliùs in remoto, tamen in ipſo vicino, in quo fortiùs agit, nihil prohibet quo minùs in pluribus partibus ſit æqualis intenſio, & pariter in ſpatio remoto, in quo eſt languidior actio, nihil prohibet quin in pluribus partibus ſit actio æqualiter languida, & remiſſa. Hinc experimur quod ſi quis ſe conſtituat ante obiectum in proportionata quadam vicinitate tam clarè

illud

Digitized by Google

illud intuetur, vt quamuis proximiùs accedat non tamen clarius illud deſcernat, & dum quis à longe obiectum obſcurè videt, ſæpe experitur quod quamuis per quatuor, vel quinque paſſus accedat non tamen illud minus obſcure videt.

194 Dum cauſa naturalis intra ſuam ſphæram agit, ſi interponatur aliquod obſtaculum, per quod actio tranſmeare non poſſit, retorquetur illa multoties, atque reflectitur; & producitur, vel etiam intenditur qualitas ab obſtaculo versùs agens, vt experientia conſtat. Porrò cauſa motus, & qualitatis in reflexione productæ eſt qualitas in obſtaculo à principali agente producta; agens enim principale directè diffundit per totum medium vſque ad obſtaculum qualitatem, & dum incurrit in obſtaculum, quia ab eo impeditur, nè vlterius in ſpatium agat, quaſi quodammodò colligit, & producit in ipſo totam illam qualitatem, vel magnam partem illius, quam debuiſſet diffundere trans obſtaculum per totam ſuã ſphæram actione directa, eam inquam producit in obſtaculo, non in aere medio, quia non aer medius, ſed obſtaculum eſt illud, quod impedit, & abrumpit actionem directam agentis, & propterea in eo ſentitur adeò notabilis intenſio qualitatis, hic autem terminat actio principalis agentis. Obſtaculum deinde vt affectum qualitate tam intenſa agit in medium verſùs agens, & in eo magis auget qualitatem directè ab ipſo principali agente cauſatam.

195 Neque verò abſurdum eſt, quod agens principale validiùs agat in obſtaculum magis diſtans, quàm in aerem medium ſibi magis propinquum; quia hoc eſt per accidens, non per ſe quatenus ſcilicet cogitur, ob impedimentum obſtaculi in eo colligere eam qualitatis copiam, quam per vlterius ſpatium extendere debuiſſet. Hoc ergo modo melius aſſignatur cauſa reflexionis, quàm ſi immediatè aſſignetur ipſum principale agens, à quo ſi maior illa intenſio in reflexione produceretur deberet ſemper eodem modo fieri cuiuſcunque rationis eſſet obſtaculum, & præterea daretur actio indiſtans.

196 Similiter in motu locali cauſa reflexionis eſt obſtaculum, quod vtpotè ſolidum, & durum eſt proportionatum ad imprimendum impulſum in corpus occurrens; neque apparet alia cauſa huius impulſus reflexi; ille enim qui primò proijcit pilam v.g. nihil amplius agit circa illam, motus verò, ſeu impulſus directus, qui productus fuit à proijciente, cum opponatur motui, & impulſui reflexo, eum cauſare non poteſt; cum præſertim ſæpiſſimè nullus adſit impulſus directus ab

ex-

Digitized by Google

extrinſeco impreſſus,ſed incurrat in obſtaculum pila,vel aliud corpus graue,ſolùm ex vi grauitatis innatæ,quæ certè motum reſilientiæ cauſare non poteſt.

197 Alteratiouem non parùm retardat paſſi reſiſtentia tum negatiua, & formalis, qua contraria qualitas fortiter quaſi perdurat, & fixa manet quantùm poteſt in ſubiecto, tum actiua, & poſitiua, qua paſſum, per contrariam qualitatem, quam in ſe habet, reagit aduerſus agens, & hanc quidem reactionem ſæpiſſimè dari ſecundùm eamdem contrarietatem eamdemque ſubiecti partem, probatur tum experientijs, ferrum enim candens iniectum in aqua frigida refrigeratur, & ſimul eam calefacit; aqua frigida ſi inijciatur in feruentem, tota fit tepida; tum quia aliter tolleretur miſtio, quæ fit cum elementa ſe mutuò refrangunt ſecundùm eandem contrarietatem, tum demùm quia vtrumque tam agens, quàm paſſum habent ab initio virtutem agendi, & patiendi capacitatem cum æquali applicatione, ac proinde vtrumque ſimul agit & patitur, ſiquidem omne agens naturale applicatum ad agendum neceſſariò agit.

198 Corporum rarefactio, & condenſatio, nec ſaluari poteſt per plures pauciores ſue vacuitates, nec per penetrationem partium inter ſe, earumque extractionem, nam nec vacuum natura admittit, nec patitur corpora penetrari: multòque minùs per replicationem partium, aut per puncta magis, minuſue intumeſcentia,vtrumq; enim rationi, & experientiæ repugnat; ſed neque per productionem vllius nouæ quantitatis, & deſitionem antiquæ, vel per ingreſſum, aut egreſſum corpuſculorum: Contra primum enim eſt, quia quantitas, cum contrario careat, non poteſt ab aliqua cauſa produci, vel deſtrui, & ſi produceretur eſſet potius accretio, quàm rarefactio: ſecundum verò omiſſis multis experientijs ex eo refellitur,quia ſecus rarum non haberet parum materiæ ſub magnis dimẽſionibus ſed potius multũ ſub magnis,& ſimiliter denſum non eſſet multum materiæ ſub paucis dimenſionibus, ſed potius parum ſub paucis contra philoſophum. Inſuper quælibet pars corporis rari eſt rara, puta quælibet pars aquæ, & aeris eſt rarior qualibet partæ terræ, vel plumbi, & corpuſcula ipſa capacia ſunt raritatis, & denſitatis. Adde nullum philoſophum dicere ſpongiam, vel linteum propriè addenſari, quando manu comprimitur, & rarefieri, quando dilatatur; Rarefieret autẽ,& addenſaretur,ſi in admiſſione corpuſculorum rarefactio, & addenſatio ſita eſſet. Igitur præter huiuſ-

Digitized by Google

huiuſmodi popularem, & vulgarem rarefactionem, admittenda eſt alia magis propria, & philoſophica, quæ fit cum aliquod corpus non ſimul cum alio, ſed per ſe, maiorem locum occupat, vt cum aqua, vel thus incenſum vertitur in vaporem, vel puluis ſulphureus in cauo corpore bombardæ, & ſubterraneis cuniculis accenditur, & in multis alijs caſibus. Igitur propria rarefactio, & condenſatio explicari debet per modos raritatis, vel denſitatis ſuperadditos, qui ſint qualitates, vt colligitur ex Ariſt. pluribus in locis, immediatè afficientes quantitatem ipſam, eamque determinantes ad eſſendum in ampliori, vel minori loco, cum ipſa de ſe ſit aliqualiter indifferens, nec omnimodam determinationem vendicet, & hæc opinio ſatis perſuadetur ex refutatione aliarum ſententiarum, non enim alius dicendi modus ſupereſt.

1. ph. ſ. 45. & 2. de par. An m. c. 1.

DE ELEMENTIS
EORVMQ. MISTIONE.

199 Corpus naturale diuiditur in ſimplex, & miſtum. Simplicia corpora, præter cœlos, dicuntur quatuor elementa ideſt Terra, Aqua, Aer, & Ignis, quæ quamuis ex materia, & forma conſtent, ex alijs tamen corporibus nullo modo componuntur, & ex ipſis aliquo modo conſtituuntur cætera, quæ propterea miſta vocantur; ideoque Philoſophus optimè definit elementum eſſe *illud corporum in quod alia diuiduntur, quod ineſt potentia, aut actu, ipſumque eſt indiuiſibile in diuerſa ſpecie*, ideſt elementa ſunt prima corpora, quæ nec actu, nec virtute conſtituuntur ex alijs corporibus ſpecie diuerſis, in quæ reſolui poſſint; ſed ex ipſis alia quodãmodò conſtant, aut actu ſcilicet, aut virtute, & in ipſa reſoluuntur.

3. Cæli t. 31.

200 Quatuor elementis, totidem primæ ſenſibiles qualitates conueniunt, nempè calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. Calor deſcribitur in concreto, quod congregat homogenea, & diſgregat heterogenea; frigus quod congregat homogenea ſimul, & heterogenea; intelligitur autem homogeneum, & heterogeneum hìc, non diuerſum, aut ſimile in forma ſubſtantiali, ſed in pondere, liquabilitate, alijſque huiuſmodi affectio-

2. de gen. t. 8. & 9.

ſtionibus; quia enim calor vim habet attenuandi, ac relaxandi, aperit viam ſimilibus, vt cum ſuis ſimilibus congregentur, è contra cum frigoris ſit conſtringere, & addenſare, eo conſequenter omnia tàm eiuſdem, quàm diuerſæ rationis in vnum veluti coguntur, vt in glacie paleæ lapides, & lutum. Humidum deſcribitur, quod difficulter terminatur termino proprio, facilè alieno: ſiccum quod difficilè alieno, facilè proprio; corpora namque ſicca quandam conſiſtentiam habent, vì cuius terminationem propriam tenaciter retinent, & ægrè ad alienam accomodantur; è contra liquores omnes non facilè retinent figuram aliquam propriam, ſed alienæ prorſus ſeſe adaptant. Sapienter verò philoſophus primarum qualitatum naturam per effectus ſecundarios congregandi, diſgregandi &c. nobis expoſuit, potiùs quàm per primarios calefaciendi, exſiccandi, aut calidum, & humidum formaliter conſtituēdi, &c. quia per hos nullam maiorem earum notitiam attuliſſet.

201 Dictæ quatuor qualitates, meritò vocantur primæ, non ſolùm quia primis corporibus nempè elementis primariò conueniunt; ſed præſertim quia inter qualitates ſenſibiles corporibus inhærentes primatum obtinent, quatenus non ſupponūt alias priores, ſed ex ipſis aliæ quodammodò originantur; pertinent enim ad generationem, cùm ſecundùm eas fiat propriiſſima alteratio, ac proinde anteire debent alias qualitates, quæ ad rei perfectionem attinent, & ſecundæ nuncupantur. Sic tenue, lubricum, molle, & læue, ex humidi, craſſum, aridum, durum, & aſperum ex ſicci prædominio oriuntur; Rarum, leue, odores, ſapores, & colores aliqui ex calido: denſum verò, graue, ſapor, & color aliquis vt videre eſt apud philoſophum ex frigido dominante promanant. 2. de Gen. t. 8.

202 Quamuis autem, calor, frigus, humiditas, & ſiccitas, ſint primæ qualitates, non tameu ſunt formæ per ſe primariò conſtitutiuæ elementorum: hæc ſiquidem debent omninò habere ſuas formas ſubſtantiales inuariabiles, quæ ſint radices huiuſmodi qualitatum, quæ continuò variantur inuariata ſubſtantia elementorum, vt videre eſt in aqua, quæ modo feruet, modo friget, ſemper manens aqua: Nec fieri poteſt quòd id, quod in vno eſt accidens, in altero ſit ſubſtantia, cum eſſentiæ rerum ſint inuariabiles. Neque ſunt audiendi, qui dicūt ſaltem humiditatem eſſe ipſum corpus ſubſtantialiter fluidū, ſiccitatem verò eſſe carentiam talis ſubſtantiæ fluidæ: In primis enim ſatis conſtat eſſe affectionem poſitiuam corporis,

Digitized by Google

quòd ſit aptum tenaciter retinere proprium terminum,& difficilè aliena figura terminetur: Deindè verò quòd tam humiditas, quam ſiccitas, non minùs, ac calor, & frigus ſint qualitates accidentales à forma ſubſtantiali diſtinctæ, præter dicta ſuadetur, tum quia ſunt diſpoſitiones in priori naturæ ſuppoſitæ, experimur enim quotidie ea corpora faciliùs transmutari in humorem, quæ priùs præſupponuntur humida, tum quia ipſo tactu immediatè ſentiuntur, cum tamen ſubſtantia non ſit immediatè ſenſibilis tum demum quia in ſpeciebus ſacramentalibus, cernimus manere humiditatem vini, cum tamen ibi ſubſtantiam non permanere ſit de fide certum.

203 Verum tamen eſt corpus humidum frequenter humectare adhęreſcendo, vel permeando; ſed hæc humectatio eſt nimis impropria, & vulgaris, corpus enim, cui humor adhæret, vt bene notat philoſophus non eſt propriè humidum, ſed madidum, ſiue vdum, vel irrigatum, quemadmodum, & impropriè dicitur exſiccari per extractionem corporis humidi; vnde præter hanc extrinſecam humectationem & exſiccationem admitti debet alia propria.& intrinſeca,per productionem humiditatis, & ſiccitatis accidentalis; ideò enim morbis humidis ſicca remedia adhibentur, & humida ſiccis, ideo ſal in locis humidis colliqueſcit, eodemque carnes exſiccantur: & qui in ſalinis fodiunt exſiccari ſe ſentiunt.

2. 1. Gen. t. 140.

204 Ex quatuor primis qualitatibus quatuor ſolùm combinationes fieri poſſunt, nempè calidi cum ſicco, humidi cum calido, frigidi cum humido, eiuſdemque cum ſicco: Calidū verò, & frigidum, vti humidum & ſiccum, cum inuicem pugnent,nullatenus in gradu excellenti connecti poſſunt. Prima combinatio conuenit igni, ſecunda aeri, tertia aquæ, poſtrema terræ: ſi tamen ſpectentur elementa in ſuo ſtatu naturali; de facto enim ob mutuam ipſorum elementorum pugnam ad miſtorum generationem à natura ordinatam, aliaqua naturæ rationalis bona, elementares iſtæ proprietates variè alterantur, ac refranguntur. Vtrum verò ſingulis elementis ſingulæ qualitates debeantur in gradu ſummo, vel potius vna in ſummo, alia infrà ſummum, & hoc poſito an defectus intenſionis qualitatis ſuppleatur per admiſtionem alterius, nec nè, non poteſt certa aliqua ratione definiri, nam experientiæ, quæ hinc inde adducuntur varijs ex cauſis procedere poſſunt.

205 Elementa ſicut, & reliquæ Mundi partes, certum ſitum, & locum in Vniuerſo exigunt, vbi rectè habent, & facilè ſe

à con-

Digitized by Google

à contrarijs tuentur. Et terra quidem, tanquam aliorum elementorum grauiſſima in centro Mundi iacet, remotiſſima à cœlo: Supra terram connaturaliter conſiſtit aqua, vtpotè minus grauis: Supra aquam attollitur aer, quia eſt leuior aqua, & terra: Denique ſupra totum aerem propè lunæ concauum exiſtit magnum, ac leuiſſimum elementum ignis, quidquid aliqui reclament, recta enim Vniuerſi conſtitutio expoſcit, vt quemadmodum alijs elementis proprius locus deputatur, in quo ſecundùm maximam ſui partem naturaliter permaneant, ita & igni aſſignetur; alioquin & mutilus quodammodò eſſet Mundus, & aer aliorum elementorum quantitatẽ nulla ſeruata proportione, nimis excederet. Confirmat id ipſum experientia, qua videmus flammam indeſinenter aſcendere, atque adeò leuiſſimam eſſe inter alia corpora, quibus proinde ſuperiorem locum connaturaliter exigit.

206 Cum elementa multoties extrà proprium locum generentur, à quò etiam violenter dimoueri poſſunt, ſecundùm aliquas partes, prouida Natura eis dedit vim, & impetum quendam, quo maximè propendent, ac feruntur in loca propria, vel vbi primùm vis extrinſecùs impreſſa defecerit in eadem ſe reſtituunt. Hæc autem virtus motiua grauitas dicitur, & leuitas; vtraque eſt qualitas à forma ſubſtantiali diſtincta, tàm in elementis, quàm in miſtis, vt in homine conſtat; eſt enim vtraque forma quædam materialis per ſe ſenſibilis, capax intẽſionis, atq; etiã præuia materiæ diſpoſitio quæ prædicata ſubſtantiali formæ minimè conueniunt, & tandem in Sacramento Euchariſtiæ ſine ſubſtantia panis, & vini, ſentimus adhuc pondus ſpecierum.

207 Rectè definitur grauitas, vt ſit virtus motiua deorſum, ſeu ad medium, leuitas verò, vt ſit virtus motiua ſursùm, ſeu à medio. Ceterum tam leuitas, quàm grauitas alia dicitur ſimpliciter, & alia ſecundùm quid: Grauitas ſimpliciter eſt propria terræ, & tendit in locum infimum: leuitas ſimpliciter eſt, quæ petit locum ſupremum, eſtq. propria ignis: Grauitas media, ſeu ſecundùm quid, quæ petit locum infrà aerem leuiorem, & ſupra terram grauiorem: Leuitas demum ſecundùm quid eſt aeris propria, petit enim locum ſuprà aquam grauiorem, & infrà ignem magis leuem. Huiuſmodi virtutes motiuæ; quamuis vna dicatur ſimpliciter, & alia ſecundùm quid, differunt tamen omnino eſſentialiter, & ſpecificè, nam leuitas aeris v.g. eſt ita eſſentialiter determinata ad mouendum aerem in locum medium ſupra aquam, & infrà ignem, vt quamuis

excreſceret in intenſione, nunquam moueret ſuperiùs, & ſic de alijs proportione ſeruata.

208 Quare terminus ſpecificans huiuſmodi potentias motrices eſt talis, ac talis ordo corporum huius mundi, v. g. reſpectu leuitatis ignis, eſt ſuperficies concaui lunæ infrà quam ſit, & ſuperficies aeris, ſuprà quam exiſtat, terminus grauitatis terræ eſt infimus locus infrà omnia corpora, & ſic de reliquis proportionaliter loquendo, & quia huiuſmodi termini ſunt valdè diuerſi, conſequens eſt, vt motrices potentiæ, quæ ſunt eſſentialitèr determinatæ, vt moueant ad illos, ſpecie differre debeant. Oriuntur autem huiuſmodi potentiæ proximè, & immediatè grauitas ex denſitate; leuitas ex raritate, vel fortè ex eadem primarum qualitatum complexione ex qua denſitas, & raritas enaſcitur.

209 Elementa in proprijs locis neque grauitant, neque leuitāt, hoc eſt neque aſcendere, neque deſcendere conantur, grauitas enim, & leuitas eſſentialiter ſunt inſtitutæ ad mouenda elementa in propria loca connaturalia, quo fine obtento, non eſt cur amplius laborent. Vna verò pars elementi comparata cum alia non grauitat, vel leuitat ſupra illam, nec eam per ſe loquendo impellit, quia cùm ſint æqualis leuitatis, vel grauitatis, vna non petit eſſe ſupra, vel infra aliam. Tandem ſi magna elementi copia ſit extra ſuum locum naturalem, quamuis per modum vnius tota grauitet, & impellat corpus obſiſtens, ſi tamen interponatur inter partes elementi continuas aliquod corpus extraneũ, quod earũ continuitatẽ non tollat, partes ſuperiores non grauitant ſupra tale corpus, hoc ipſo enim, quod coniunctæ remanent cum reliquis, naturaliter exiſtunt, nec impellunt illud corpus, quod non reſiſtit huic coniunctioni, neque illi conatui, quo propendent, & tendunt ad ſuum centrum. Et hinc eſt, quod ſi quis nataret intra magnam aquæ copiam in aliquo cubiculo violenter incluſam, pondus aquæ non ſentiret.

210 Motus grauium, & leuium alius eſt naturalis, alius violentus, ille eſt à principio intrinſeco, ipſa ſcilicet grauitate, & leuitate mobilis, ad locum naturaliter debitum: hìc verò eſt ab extrinſeco, & ad locum indebitum. Motus naturalis alius eſt ſurſum, alius deorſum; neque enim omnia, vt aliqui voluere, naturaliter deorſum tendunt, & ſolùm violenter à maiori grauitate alterius corporis ſurſum aliquando propelluntur; hoc enim eſt contra experientiam, qua videmus, & aerem in terremotibus erumpentem, & ignem in cuniculis accen-
ſum

ſum non ab aliquo corpore deſcendente ſurſum propelli, ſed ex ſe aſcendere, & grauiſſima etiam quæque corpora obſtantia magna vi ſurſum tollere, vt emergat.

211 Fit motus quilibet naturalis per ſe loquendo per lineam rectam; cauſa quippe naturalis non impedita quàm citiſſimè poteſt operatur; & conſequitur ſuum bonum; Idem naturalis motus eſt in progreſſu, ac fine velocior, quàm in principio, vt multis experientijs clarum eſt, ea præſertim, qua experimur corpus deſcendens verſus finem motus grauiùs lædere, & vehementiùs impingere in terram, quo altiori ex loco prolapſum eſt, nam datis duobus corporibus æquè grauibus duris, ac denſis, nulla alia poteſt afferri ratio, cur vnum maiorem ictum impellat, quàm aliud, niſi maior velocitas motus.

212 Si autem quæratur cauſa huius maioris velocitatis, dicimus, vel eſſe grauitatem ipſam, quæ talis ſit naturæ, vt poſtquam iam motum eſt corpus per aliquam diſtantiam, debeat iam velociùs mouere, eo quia motus præcedens ſit conditio præſuppoſita ad velociorem motum, & impulſum, vndè & nos quando volumus velociter ſaltare, ſolemus per aliquos paſſus retrocedere: vel etiam eſſe medium, quod mobili nouum ſubindè impulſum imprimit, non tam dum à tergo accurrit ad impediendum vacuum, quàm dum compreſſum à corpore deſcendente, ſurſum ſe mouet ad debitum ſibi locum.

213 Elementa cum in propria loca naturali impetu feruntur; immediatè quidem, & proximè mouentur à propria grauitate, & leuitate, quæ ſunt potentiæ motiuæ datæ à natura ad producendum motum localem; principaliter tamen, & ſi remotè non à propria forma ſubſtantiali, ſed ab extrinſeco generante mouentur, cuius ea optima affertur ratio, quia omnes eas proprietates, & affectiones generans extrinſecum tãquam cauſa principalis cauſat in genito, quæ huic ex vì ſuæ productionis debentur in ipſo generationis inſtanti, vndè inualuit axioma, quòd dans formam dat etiam conſequentia formæ, alioquin agens in neceſſarijs deficeret, nec opus ſuum abſolueret; ſed ad naturalem perfectionem, & ſtatum elementorum, in eo puncto, in quo generantur, ſicut, & reliquo ſequenti tempore pertinet in loco naturali conſiſtere: ergo munus generantis eſt, ea in locis proprijs generare, vel ſi id propter aliquod impedimentum non contingat, eam ad locũ naturalem promouere, vel reducere, ſi poſt ab illo per violentiam

Digitized by Google

tiam dimoueantur.

214 Motus violentus cauſatur ab extrinſeco per vim impreſſam contra mobilis inclinationem. Hic motus in proiectis nō fit immediatè ab aere, aut ab extrinſeco proijciente, ſed ab impulſu, ſeu virtute quadam impreſſa mobili: Experimur enim magna vì proijci ſæpè corpora, & inde moueri contra propriā naturam, etiam in abſentia proiicientis, quod eſſe non poſſet niſi in proiecto vis aliqua, ſeu qualitas, illius violenti motus productiua, relicta foret; nam aer agitatus ab initio à proijciente non ſufficit ad ſuſtinenda, & mouenda magna corpora, quæ etiam contra ventum validiſſimum, contraque propriam grauitatem cernimus violenter ſurſum ferri; & experientia ipſa docet, quòd quamuis aliquis agitet aerem circa mediocrem lapidem, nunquam ſurſum eleuabit, niſi pede, vel manu, alioue inſtrumento in eum imprimat vim.

215 Præterea corpora grauia extrà locum naturalem poſita conantur deorſum deſcendere, & premunt, atque vrgent corpus obſiſtens, huiuſmodi autem conatus non eſt ipſa grauitas corporis, quia hæc adeſt etiam in loco naturali, vbi tamen grauitatio, & conatus ille non ſentitur, eſt ergo actio, & operatio aliqua, ſed non eſt mera productio motus localis, quia ſentimus pondus lapidis, quem capite deferimus, etiamſi caput actu non moueatur; ergò eſt productio alicuius vis, ſeu qualitatis impreſſæ à grauitate corporis, ordinatæ quidem ad mouendum corpus obſiſtens, quamuis ob illius reſiſtentiam motus non ſequatur.

216 Hic impetus, & impulſus eſt virtus quædam impreſſa, ſeu potentia de ſecunda ſpecie qualitatis, eſſentialiter differens à grauitate, & leuitate, quia hæ licèt dicantur eſſe qualitates, conueniunt tamen mobili ab intrinſeco, multùm in eo durant, ſunt determinatę ad illud ferendum in locum naturaliter debitum, quæ prædicata virtuti impreſſæ minimè conueniunt; quippe quæ aduenit corpori ab extrinſeco, illud impellit motu indebito, & eſt natura ſua fluens, ac parum durans, talis enim eſt conditionis, vt ſtatim, ac relinquitur à proijciente, remitti incipiat, donèc totaliter euaneſcat, vt etiam dici ſolet de ſono.

217 Et hinc eſt, quòd motus violentus proiectorum eſt minùs velox in fine, quàm in principio, quia nimirum impulſus, quo mouentur cum ſit præter, vel contra naturam, & inclinationem mobilis, ſenſim langueſcit, quouſque totaliter deficiat. Porrò impulſus, qui mouet verſus vnam partem intrin-

Digitized by Google

trinſecè differt ab eo, qui mouet verſus aliam, quia eſt determinatus ad mouendum tali modo, & per talem lineam ex ſe, & ex natura ſua, non enim determinari poteſt ex directione proijcientis; potiùs enim non aliter determinatur proiectum, vt pergat versùs iſtum locum, & non versùs illum, quàm à proiciente recipiendo talem virtutem determinatam ad ita mouendum, ſicut non aliter determinatur ſubiectum ab aliqua cauſa ad exiſtendum in tali loco, niſi quatenus recipit ab illa talem vbicationem, tali ſpatio affixam.

218 Quando mobile ab eo termino per eandem lineam recedit, ad quem per directum motum peruenerat, non eſt neceſſe in puncto reflexionis dari quietem; cum enim aenea pila contra pauimentum, vel parietem validè iacitur, ſenſu patet eam ſtatim reſilire, neque credibile eſt ligneum globulum ſurſum proiectum, ſi lapideæ molæ deſcendenti è ſumma altitudine occurrat, illam detinere, vt interim ibi quieſcere poſſit: Neque ex eo quod inter motum directum, & reflexum non detur quies, ſequitur quod ſint continui, ſed ſolum quòd habeant veluti contiguitatem. Aliquando tamen fortè mediat huiuſmodi quies, cum nimirum vis ſurſum pellens, & grauitas, aut alia quæuis virtus deorſum mouens omnibus penſatis ſunt in æquilibrio; quamuis nec ſit neceſſarium huiuſmodi æqualitatem, plus quàm vno inſtanti durare, poteſt enim impulſus ſtatim remitti, niſi aliundè conſeruetur, & ita mobile non quieſcet, quia quies cum ſit priuatio motus, eadem menſura, qua motus, ideſt tempore, non inſtanti, menſuratur.

219 Quæ dicta ſunt de motu, ac virtutibus motiuis elementorum, proportionaliter applicari debent miſtis, quæ mouentur iuxtà prædominium elementi excellentis. Cæterum quãuis elementa per ſuam pugnam, & mutuam actionem multoties ſimul conueniant ad mixti generationem, non eſt tamen exiſtimandum formas ſubſtantiales elementorum, aliquo modo formaliter remanere in miſto, vel enim manent integræ, & perfectæ, & tunc mixtum eſſet aggregatum quoddam per accidens ex multis rebus ſpecie diuerſis; vel refractæ, & in gradu remiſſo, & hoc eſt contra rationem ſubſtantialis formæ, quæ non ſuſcipit magis, & minus, ſecundùm intenſionem; id enim eſt qualitatis proprium; vel tandem remanent ſecundùm partem potentialem, non verò ſecundùm vltimam actualitatem; & hoc etiam eſt impoſſibile, tum quia actus ſubſtã-

tialis

tialisdebet eſſe phyſicè ſimplex, & indiuiſibilis, vtpotè vltima ratio determinans materiam ad tale compoſitum, & prima radix omnium proprietatum; tum quia principia, neque fiunt ex alijs, neque ex alterutris: tum demum, quia ſi illæ partes potentiales formarum ſunt omninò ſubordinatæ, & eſſentialiter inſtitutæ propter vltimam actualitatem ſubſtantialem, tanquam propter finem, ad quem materiam præparant, & diſponunt, hoc ipſo non ſubſtantiales, ſed accidentales formæ cenſeri debent.

220 Igitur mixtum, cum ſit vnum ens per ſe, eſſentialiter cõponi debet, ſicut ex vna materia; ita ex vna ſubſtantiali forma, intrinſecè tamen diuerſa à formis elementaribus, quæ ſufficienter explet capacitatem materiæ, & determinat illam ad tale compoſitum, quod dicitur mixtum; in quo proindè non formaliter, ſed ſolùm virtualiter elementa manent; hæc autem virtualis compoſitio mixti ex elementis dupliciter intelligi poteſt, primò accidentaliter, & diſpoſitiuè, quatenus ſcilicet in eo manent contemperatæ quatuor primæ qualitates contrariæ, quæ ſunt virtutes elementorũ. Secundò ſubſtantialiter, quatenus nimirum forma miſti eſt, quædã quinta forma ſubſtantialis, conueniens cũ ſingulis elementis, & quodãmodò inter illa, vti extrema, medians; eſt enim principiũ, & radix exigens cõbinationẽ omniũ contrariarũ qualitatũ in gradũ ſaltẽ attẽperato, & refracto, & ita quatenus exigit calorem, & ſiccitatem, eſt ſimilis igni, quatenus humiditatem, & calorem, eſt ſimilis aeri, & ſic de alijs proportionaliter.

221 Neque verò ad hoc vt miſtum componi virtualiter dicatur ex elementis, neceſſe eſt, quòd in eo remaneat materia, quæ priùs immediatè fuerit alicuius elementi, vel quòd immediatè producatur, vel recipiat ſuas qualitates ab ipſis elementis; ſæpè enim gignitur miſtum ſine concurſu vllius elementi per ſolã actionem immediatam alicuius alterius miſti, vt in animalium perfectorum generatione contingit. Elementa autem dicuntur prima corpora, tum quia ſimplicia ſunt, in hoc ſenſu, quòd non exigunt temperiem contrariarum qualitatum, quã poſtulant mixta, tum quia ad hunc etiam finem à natura inſtituta ſunt, vt ex ijs miſta gignantur, mediatè, vel immediatè, tum in genere cauſæ materialis, tum effectiuæ; nam ſaltem initio mundi ex eorum materia prognata ſunt reliqua corpora, eiſque miſtis contulerunt virtutes illas, quibus deindè vnum mixtum ab alio generatur.

Cum

Digitized by Google

222 Cum miſtio definitur miſcibilium alteratorum vnio, non fit ſenſus, quòd in mixto maneant formæ elementares, non corruptæ, ſed alteratæ, & vnitæ, nam licet vt fiat miſtio præſupponatur ſæpè localis coniunctio elementorum, quæ minùtim concidantur, & confundantur ad ſenſum, ſeſeque mutuò alterent, in hac tamen locali coniunctione, & alteratione non conſiſtit formaliter miſtio ſubſtantialis, ſed ſolùm præſuppoſitiuè, & cauſaliter; formaliter enim conſiſtit miſtio in generatione quintæ cuiuſdam formæ ſubſtantialis, quæ ſingulis elementis æquiualeat. Quare ſenſus allatæ Ariſtotelicæ definitionis ſolùm erit philoſophicam mixtionem non eſſe quācunque conciſorum corporum localem veluti coniunctionem, ſed talium miſcibilium vnionem, quę inuicem agant, mutuòq; priùs alterentur, ac refrangantur ſecundùm ſuas qualitates; ſiue deinde huiuſmodi alteratione completa, formæ eorum ſubſtantiales formaliter in miſto maneant inter ſe vnitæ, ſiue potentia, & virtute tantùm; modò ſuperiùs explicato; quo ad hoc enim dubium ſe oſtendit philoſophus, vnde definiens elementa dixit, ea eſſe in mixto, aut actu, aut virtute.

223 Sunt etiam elementa propter pugnam, & contrarietatem quam habent, vì cuius ſæpè vnum alteri omninò præualet, mediatè, vel immediatè adinuicem tranſmutabilia, licèt faciliùs ſymbola, quam diſsymbola; hæc enim penitus diſſident, illa verò in vna eiuſdem ſpecificę rationis amica qualitate cōueniunt, eſt autem facilius, vt rectè philoſophus, vnum quàm multa tranſmutare. Imò vniuersè loquendo dum vnum elementum agit in aliud, ſiue miſtum illud ſit, ſiuè elementum, per ſe primò intendit illud ſibi aſſimilare, & in ſe conuertere, qui proindè finis ſi eſſet obtentu impoſſibilis, ceſſaret actio, & per conſequens, neque miſtio ex elementis vnquam contingeret. 1. de Gen. t. 25.

224 Miſtorum temperies non eſt tertia qualitas reſultans ex primis; ſecus enim ad omnem minimam mutationem caloris, vel frigoris ex. g. totum temperamentum deſtrui deberet, alio adueniente, ſed eſt complexum ex primis qualitatibus, refractis tamen, & in gradibus à miſto requiſitis; cum enim qualitates contrariæ habeant latitudinem gradualem intenſiuam benè poſſunt in gradu remiſſo permiſceri, & coniungi ſimul in eodem ſubiecto. Hoc temperamentum in Vniuerſum duplex eſt, nam aliud eſt difforme, aliud vniforme. Difforme eſt in quo, vel vna tantùm, vel duplex qualitas prædominatur, alijs æqualitatem ſeruantibus, & varium eſt, ac multi-

M plex,

Digitized by Google

plex, proût miſtorum natura, & operationes exigunt; vndè & æquale quoad iuſtitiam dicitur, quia licèt ſimpliciter inæquale, à natura tamen rebus diſtribuitur, quibus connaturaliter debetur. Vniforme verò temperamentum illud eſt, in quo quatuor omnes qualitates ſunt æquè intenſæ, qua de cauſa æquale ad pondus appellari conſueuit. Vtrumque eſt naturaliter poſſibile, neque enim vlla efficax ratio contrarium probat.

225 Miſtio inter liquores nullatenus apparet impoſſibilis, quidni enim poſſint inuicem agere, & repati, & ſe perducere ad ſtatum ſingulis indebitum; cum præſertim ſe nullo negotio ſcindant, ac in minima diuidant? Poteſt etiam miſtum in ſe conuertere aliquod elementum; & ſpecialiter aſſerimus optimè poſſe vinum, præſertim quando eſt valdè generoſum, & efficax, aliquam modicam aquam in ſe conuertere, vt patet, tum à ſimili in aceto, quod ſi ei modica aqua infundatur, poſt aliquod tempus aceſcit magis, & in muſto ab vuis expreſſo, quod tempore ſaltem quo ebullit, ſatis conſtare videtur, quòd liquorem aliquem infuſum in ſe conuertat; tum ratione, qua nulla repugnantia apparet, quominùs miſta, quædam inanimata à natura acceperint facultatem producendi ſibi ſimilia, ſicut acceperunt elementa, ac viuentia, ergò non eſt cur negetur vinum, quod inter alia miſta inanimata præſtans eſt, ac valdè generoſum, hanc facultatem obtinere.

226 Neque verò inde ſequitur ex vno cyatho vini impleri poſſe dolium per continuam tranſmutationem aquæ in vinum, quia agens agendo repatitur. Experientiæ etiam quæ in contrarium afferuntur de extractione aquæ è vino (præterquamquod ſimilis humor aqueus, ſeu partes crudiores vini, ex meraciſſimo, quoque vino extrahi poſſunt) ſolùm probant non totam, nec quamcunque aquam tranſmutari, ſed debere attendi proportionem modicitatis aquæ ad vini generoſitatem. Id pariter quod aliqui dicunt, vinum videlicet eſſe ſuccum ſubſtantiæ viuentis intra corticem vuæ vitali virtute elaboratum, ſicut ſanguis in iecore, nihil euincit; non enim vinum expreſſum eſt amplius illa eadem omnino ſubſtantia, quæ cõtinebatur intra vuam, ille quippè ſuccus erat ſubſtantia viuens, vinum autem non viuit, cur ergò ſubſtantia iſta non viuens, nequeat producere aliam ſibi ſimilem? Nec ſequitur idem dicendum eſſe de ſanguine, in quo non experimur eam actiuitatem, & vigorem, quem percipimus in vinis generoſis; neque enim oportet, quod omnes ſubſtantiæ eandem vim habeant.

Digitized by Google

beant. Tandem & ſi vinum in primis qualitatibus actiuis valdè cum aqua conueniat, id tamen actionem non impediet, quia non eſt neceſſe huiuſmodi conuerſionem fieri per qualitates primas, cum bene fieri poſſit per certam virtutem naturalem innominatam, qua materiam aqueam vinum diſponat ad ſuæ formæ inductionem.

227 Simile quid omnes aſſerere tenentur de plantis, dum per vitales ſuas facultates in ſui ſubſtantiam vertunt alimentum ſeù humorem illum, quo nutriuntur, cum quo tamen ſæpè conueniunt in ſuis qualitatibus, ſicut ergò planta non agit in humorem, quo nutritur, per qualitates primas contrarias, ſed per quandam aliam virtutem, qua producit in ea materia diſpoſitiones incompoſſibiles cum forma illius humoris, & connaturalès formæ plantæ; ita proportionaliter in caſu noſtro. Neque enim vſquè adeò pura elementa ſumus, vt ad elementorum manifeſtas omnia reducamus qualitates, ſed cenſemus in vino, & in alijs etiam miſtis, præter quatuor primas qualitates dari alias virtuales ad ſpeciem naturalis potentiæ attinentes, ſenſibus quidem occultas, at non intellectui eas ex notis effectibus cognoſcenti, & inſignibus operationibus paſſim occurrentibus, quas per ſolas elementares qualitates ſaluari non poſſe ſatis clarè dignoſcit.

228 Sequitur ex his modiciſſimam illam aquam, quæ in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ex præcepto Eccleſiæ vino infunditur, antequàm conſecretur, in vinum ſubſtantialiter conuerti. Quamuis quod attinet ad punctum Theologicum huiuſmodi conuerſio non ſit neceſſaria ad hoc, vt vertatur in ſanguinem Chriſti, nam aqua miſta vino, & per hoc ſaltem moraliter in eum conuerſa, etiamſi immediatè ante verba conſecrationis propriam ſubſtantialem formam phyſicè non amiſerit; adhuc ex vì conſecrationis vertetur in ſanguinem Chriſti; quandoquidem eſt valdè rationabile, ac decens, Altiſſimum hoc de Euchariſtica tranſmutatione myſterium à dubijs, & incertis quæſtionibus philoſophicis eſſe independens, ac proindè ſiuè aqua in vinum phyſicè, & ſubſtantialiter verti poſſit, ſiuè non, ſemper verum erit, totum illud, quod per modum potus ſenſibilis, ac vini communis, & vſualis in calice ponitur ex præcepto Eccleſiæ, ad imitationem Chriſti, eaque intentione, & fine, vt conſecretur, totum conſecrari, ac proindè totum fidelibus adorandum meritò proponi.

Digitized by Google

DE CORPORE ANIMATO.

229 MIſtorum corporum alia ſunt imperfecta, vt nix, vapor, exhalatio, & ſimiles elementorũ ſpiritus, alia perfecta, ex quibus aliqua viuũt, vt plantæ, bruta, & homines, alia omni vita carent, vt lapides, & metalla. Quæ vita carent libenter ſepelimus, nec de ijs ſpecialiter agimus; faciliora enim ſunt, quàm vt ſcholaſticam exigant concertationem. Animata verò prouocant nos ad iucundiſſimum æquè, ac nobiliſſimum certamen, quò ſtrictim peracto vniuerſæ naturali philoſophiæ coronis imponetur.

230 Omnia corpora, quæ viuunt formaliter conſtituuntur anima, quæ definitur *actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis*, ſeu forma informans conſtitutiua viuentis, vel etiam, vt alijs placet, actus ſubſtantialis materiæ ſecundæ, affectæ diſpoſitionibus organicis, & per eas proximè diſpoſitæ ad vitam. Porrò in hoc maximè differunt viuẽtia à non viuentibus, quòd viuens aptum eſt ſe mouere, & in ſe intrinſecè operari tunc, cum eſt in ſtatu ſuo connaturali ſibi debito ab initio ſuæ generationis; ac proindè non ab extrinſeco generante, ſed ipſum à ſe ipſo mouetur, quia operatur ad acquirendam aliam perfectionem, præter illam, quæ ex vì ſui ortus ſibi debetur, in primo ſuæ generationis inſtanti: Non viuentia è contra tunc ſolùm in ſe ipſis aliquo modo operantur, cum ſunt in ſtatu violento, nam obtenta connaturali diſpoſitione, nullatenus ſe mouere poſſunt.

2. de Gen. t. 6. & 7.

231 Et hinc facilè explicatur tùm vita ſubſtantialis, ſeu anima, quæ dicitur actus primus, tùm accidentalis, ſeu vitalis operatio, quæ actus ſecundus appellatur: nam vita ſubſtantialis eſt prima radix, & principium earum operationum immanentium, quibus perficitur operans, vltra perfectionem ſibi debitam ab initio ſuæ originis: actus autem ſecundus vitalis, eſt illa ipſa operatio immanens, quæ formaliter à tali principio procedit. Quoniam verò omnes huiuſmodi immanentés operationes ad hæc capita reducuntur, quæ ſunt Vegetare Sentire, loco moueri, & intelligere, ideo philoſophus, vt maiorem quandam animæ notitiam nobis ingereret, præter allatã defi-

definitionem animæ in ordine ad corpus organicũ, & viuens, quòd primariò reſpicit, aliam tradit per ſuas operationes, inquiens eſſe *id quo viuimus* (hoc eſt vegetamur) *ſentimus, mouemur, & intelligimus primò*: Et ſenſus eſt omnes huiuſmodi actus, vbicunque ſint ab anima proficiſci, vtpotè prima radice operationum vitalium, quæ ad dicta capita reuocantur. *t. 24.*

232 Corpus animæ ſubiectum non organizatur per diuerſas formas ſubſtantiales partiales, ſed ſolùm per varias diſpoſitiones, & accidentia, quorum vnica radix eſt anima, quæ ratione ſuæ perfectionis, qua eminet inter alias formas, & ob varias vitæ functiones quas debet exercere, optimè poteſt exigere multa inſtrumenta, & organa diuerſis accidentibus affecta; quemadmodum per aduerſarios eſt ſufficiens radix, & finis ob quem ponunt tot diuerſas formas partiales in viuente. Immò vniuerſaliter cenſemus vnumquodque phyſicum compoſitum, hoc ipſo quod eſt vnum ens per ſe, non poſſe per plures ſubſtantiales formas intrinſecè conſtitui; vndè nullam admittimus formam corporeitatis materiæ coæuam, ſiuè genericam, ſiue ſpecificam, nullamque formam miſtionis à propria miſti cuiuſlibet forma diſtinctam.

233 Anima in communi rectè diuiditur in tria genera, ſeu gradus animarum, nempè vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum; quæ diuiſio attenditur penes diuerſam eleuationem à materia in operando: Nam ſi attendantur modi viuendi in ordine ad ſeparabilitatem, quatuor animatorum genera ab eodem philoſopho diſtinguntur, nimirum vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & cogitatiuum. Iſti gradus cum in vno eodemque viuente reperiuntur, ab vna eademque anima formaliter habentur; nam ex vna parte nihil prohibet animã ſenſitiuã, eſſe etiã formaliter vegetatiuã, eodéq; modo vegetatiuũ, & ſenſitiuũ gradũ in rationali formaliter includi, quod ſicut eſt neceſſariũ, ita ſufficit ad conſtituẽdũ hominẽ vegetatiuum, & ſenſitiuum formaliter; ex alia verò parte ſalua fide, & vnitate viuentis, non poſſunt plures animæ ſimul in eodẽ viuente admitti: Quamuis probabile ſit ſucceſſiuè eſſe ponendas, ita vt id quod futurum eſt homo, priùs viuat anima vegetatiua tantùm, deindè hac pereunte, vita ſenſitiua, & poſtremò rationali; Conſueuit enim natura ab imperfectioribus ad perfectiora procedere.

234 Non eſt anima ex communi ſua ratione indiuiſibilis, ideſt tota in toto corpore, & tota in ſingulis eius partibus: Nam licet anima rationalis talem ſibi perfectionem vendicet; cum

enim

Digitized by Google

enim ſpiritualis ſit, & incorruptibilis, nec extenditur ad extenſionem corporis, nec eo diuiſo diuiditur; omnes tamen reliquæ animæ, etiam brutorum perfectorum, cum materiales ſint, & dependentes à ſubiecto, ad eius etiam extenſionẽ extenduntur; cum omnis forma proportionari debeat ſubiecto cui inhæret, & ex quo educitur. Et certè ſi in nutritione bouis, e.g. anima, quæ informat materiæ portionem adiunctam, ex illa educitur, non poteſt eſſe eadem cum præexiſtente, alioquin à duobus ſubiectis totalibus penderet; & idem bis produceretur; immò idem ſe ipſum produceret, cum cauſa principalis effectiua nutritionis ſit anima viuentis: Non poteſt autem dici ex aduenientc materia dictam animam non educi, nec illi inhærere, quia inde ſequeretur aliquam formam, præter rationalem, informare materiam, de cuius potentia non educeretur, quod eſt abſurdum; Immò, quod eſt abſurdius, anima bouis non ſolum migraret de ſubiecto in ſubiectum, ſed proceſſu temporis à nulla ferè ſuæ materiæ portione penderet, cũ tota ferè ea moles & magnitudo, quam habet ſit per nutritionem, & augmentationem acquiſita.

235 Omnes partes eiuſdem animæ diuiſibilis ſunt planè inter ſe ſimiles, & homogeneæ, alioquin continuari non poſſent, & facere Vnum: neque obſtat illa accidentalis diuerſitas, quæ in partibus materiæ informatis reperitur; aliter obſtaret etiã ſimplicitati humanæ formæ: Neque iuuat recurrere ad diuerſas partes vnionis, quia forma, non vnio eſt illa, quæ eſt principium, & radix exigitiua diuerſarum diſpoſitionum. Attamen inter plures animas totales eiuſdem alioquin ſpeciei, poteſt admitti inæqualitas aliqua indiuidualis, ratione cuius vna dicatur altera indiuidualiter perfectior: Credibile enim eſt animam Chriſti Domini eſſe hoc modò intrinſecè perfectiorem anima Iudæ: Et preterea cum anima ex natura ſua ordinetur ad corpus, quod in vno eſt melius organizatum, & diſpoſitum ad actus perfectiores, quàm in altero, valdè rationabile eſt, vt benè diſcurrit Angelicus Doctor, vt ſecundùm perfectionem ei commenſuretur, & correſpondeat.

1.p.q.75.a.7. & in 2. d.21.q.1. ad 2.

236 Anima non eſt in vna tantùm corporis parte, ex qua omnia membra regat; ſed informat totum corpus continuum, eſt enim actus corporis naturalis organici, & in ſingulis partibus ſunt aliquæ operationes vitales, quæ ſubiecto inanimi ineſſe non poſſunt. Quare cor, cerebrum, Iecur, cum reliquis viſceribus, oſſa item, caro, nerui, & alia huiuſmo-

modi

Digitized by Google

modi vitalium operationum inſtrumenta ad organici corporis intrinſecam conſtitutionem attinentia, totius viuentis anima informantur. Sanguis autem cum ſit potius proximũ viuentis alimentum, quàm pars illius rigorosè loquendo; vndè in Auguſtiſſimo Sacramento in conſecratione corporis non per ſe ex vì Verborum, ſed ſolùm per concomitantiam aduenit, nec continuetur cum alijs partibus, ſed fluat, & refluat per venas, in quibus continetur, ſicut liquor in vaſe, neque tandem vllam exhibeat operationem vitalem, ſed per iuxta poſitionem tantùm augeatur, & hinc indè ab alijs partibus impellatur, animatus cenſeri non debet, idemque de alijs humoribus à fortiori dicendum.

237 Dentes verò cùm eiuſdem naturæ ſint cum oſſibus, ad animalis integritatem attineant, quòd ſine illis cenſetur mancũ; habeantque organa nutritionis, venas ſcilicet, & neruulos per dentis ſubſtantiam permeantes, ſunt planè animati; At capilli, vngues, vellera, & alia huiuſmodi recrementa, quæ in viuentium ornatum, vel armamenta natura conuertit, viuunt quidem, nam è radicibus attrahunt alimentum, propriã habent figuram, & creſcunt verſus omnem dimenſionem: Nihilominùs cùm aliarum partium conditionem non ſequantur, ſed magis creſcant cum debilior eſt virtus viuentis, ad cuius intrinſecam conſtitutionem nullatenus pertinent, anima totius non informantur, ſed peculiari vegetatiua gaudent, ac veluti herbulæ, è pingui corporis ſolo iugiter erumpunt.

238 Potentiæ vitales realiter à ſubſtantia animæ diſtinguntur, vt ſatis probabiliter ſuadetur, tum ex paritate potentiarum non vitalium, tum ex limitatione creatæ ſubſtantiæ, quæ non minùs in eſſe, quam in operari, compleri debet per accidentia: Tum ex proportione, quàm inter actum, & potentiam eſſe oportet, neque enim ſubſtantia poteſt eſſentialiter, & per ſe primò ad actum accidentalem ordinari. Ordinantur vitales potentiæ ad actus, à quibus immediatè ſpecificantur, & mediantibus actibus ab illorum obiectis. Eædẽ ſi ſint organicæ, materiali organo ſubiectiuè inhærent, vt viſiua oculo: Si inorganicæ, ipſi animæ inſunt, quamuis totum animal completum, ac per ſe ſubſiſtens ſit ſubiectum denominationis.

239 Poteſt quidem anima ſine ſuis potentijs diuinitùs exiſtere, cum aliquas de facto multoties amittat: Ipſę tamen potentiæ, ob intimam dependentiam, & coniunctionem, quam ha-

Digitized by Google

habent cum anima, implicat, quod ab ea ſeparentur. Similiter actus, qui ſunt eſſentialiter, & intrinſecè vitales, vt quæuis cognitio, & appetitio, neceſſariò à principio vitæ coniuncto, nempè à vitali potentia immanenter procedunt, cum ſint ipſummet exercitium vitæ in actu ſecundo, adeò vt repugnet eos, vel per ſe exiſtere, vel in ſubiecto extraneo collocari.

240 Anima vegetatiua tres præcipuas potentias obtinet, nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam, quibus aliæ inſeruiunt, attractiua nimirum, retentiua, concoctiua, & expulſiua, vt inductione patet in ijs, qui tali vita fruuntur. Nutritio eſt conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti, ſeu aggeneratio nouæ partis animatæ facta virtute animæ ad partes deperditas reparandas. Fit toto vitæ tempore, & in omnibus viuentis partibus, vt præter experientiam, ratio perſuadet, quia cum tota vita deperdantur partes humidi radicalis, actione caloris illud euaporantis, debent etiam quandiù animal viuit reſtaurari.

241 Augmentatio formaliter, ac precisè ſumpta, eſt motus vitalis ad quantitatem, quam viuens ſibi adiungit, & ſemper comitatur nutritionem, Si verò ſumatur iuxtà communem, & vulgarem modum, pro acquiſitione ſubſtantiæ quantæ, maioris ea, quæ fuit deperdita, non durat tota vita: Vbi enim viuens per virtutem augmentatiuam certum magnitudinis terminum acquiſierit, non poteſt amplius excreſcere, in hoc enim etiam differunt animata ab inanimatis, quod illa, non hæc, certum, ſicut paruitatis, ita & magnitudinis terminum ſibi præfigunt

242 Quælibet partialis nutritio, & augmentatio, non eſt mutatio inſtantanea, ſed prò eo tempore quo durat fit ſucceſſiuè continuè, ſequitur enim conditionem preuiæ alterationis, qua nonniſi ſucceſſiuè, & continuè alimenti materia præparatur; neque enim determinatam magnitudinem prærequirit viuens in ſubſtãtia, quam ſibi debet adgenerare: quia iam per primam generationem quam eſſentialiter ſupponit nutritio, ſufficientem magnitudinem habet.

243 Quemadmodum natura tribuit viuentibus facultatem nutritiuam, vt ſe conſeruent; & augmentatiuam, vt conuenientem magnitudinem acquirant, quàm initio ſui ortus obtinere nequeunt: Ita cum his non obſtantibus omnia viuentia corpora ſint tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco corruptibilia, eiſdem conceſsit potentiam productiuam ſibi ſimilis; cuius opera-

Digitized by Google

operatio proxima, & immediata eſt ex aliqua viuentis parte, efformare ſemen, eique qualitatem fœtus efformatiuam imprimere, quæ deindè deciſa proſequatur, & abſoluat generationem, quæ eſt actus remotus, vltimatus tamen, & præcipuus generatiuæ potentiæ, & definitur *origo viuentis à viuente, à principio coniuncto, in ſimilitudinem naturæ*, non durat toto tempore vitæ, vt nutritio, à qua eſſentialiter differt.

244 Mors eſt diſſolutio vitæ, ſeu ſeparatio Animæ à corpore; eius capacitas oritur ex naturali conſtitutione, ac temperamento viuentium, conflato ex qualitatibus, quæ agnoſcunt contrarium impugnans. Diuiditur in naturalem, & violentam. Hæc ex aliquo extrinſecùs accidente, ſeu ex morbo procedit; illa per ſenectutem fit, & in ipſo viuente ſumpto præcisè cum ijs, ſine quibus nequit naturaliter conſiſtere, cauſas habet; oriturque tùm ex reactione alimenti aduerſus alitum; tum ex actione natiui caloris contra humidum primigenium, ſubſtantia enim quæ reparatur per nutritionem ex cibo, ſucceſſu temporis deficit à perfectione ſubſtantiæ calidæ, & humidæ deperditæ, atque ita calore ipſo natiuo debilitato, ac mutata diſpoſitione corporis in frigidam, & ſiccam, vita cōtabeſcit. Idem proportionali quadam ratione animaduertere licet etiam in alijs miſtis inanimatis, quæ & ab extrinſeco agente citò corrumpuntur; & via magis naturali, & conſueta, ab ambiente calido partes ſubtiliores extrahente, atq; etiam actione vnius partis in aliam, ſenſim putreſiunt.

245 Viuentia ſenſitiua præter naturales vegetantium facultates, etiam ſenſu pollent, ſeu facultate vitaliter perceptiua obiecti, quæ eſt primaria Animæ ſenſitiuæ proprietas. Senſus autem alij intus latent; alij extra apparent. Senſus externi quinque ſunt, viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus, totidemque interni, nempè ſenſus communis, imaginatiua, phantaſia, æſtimatiua, & memoria ſenſitiua. Organum viſus eſt oculus, ac præſertim pupilla, cui inſidet; obiectum color, & lux, ambæ poſitiuæ qualitates, actuatiuæ, vel motiuæ perſpicui, non autem ſubſtantialia corpuſcula. Organum auditus eſt aer innatus; obiectum ſonus, qui eſt qualitas quædam ex corporum colliſione reſultans. Olfactus inexiſtit caruneulis papillaribus; eiuſque obiectum eſt odor, qui non eſt ſubſtantia ipſa vaporis, & halitus odoriferi à corpore odoroſo tranſmiſſa, ſed qualitas ex commiſtione primarum orta, calido, & ſicco prædominante.

246 Obiectum guſtus eſt ſapor, qui pariter eſt qualitas ſecunda,

Digitized by Google

da, ſicut odor, ſed cum prædominio humidi; organum verò lingua, & palatum, præſertim verò linguæ acumen, & finis palati, quia humidiori, & molliori carne conſtant. Denique obiectum tactus primò quidem, ac præcipuè ſunt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum; deindè etiam aliæ qualitates ſecundæ, quæ communi nomine tangibiles dicuntur, & à Philoſopho 2. de Gen. t. 8. ſigillatim recenſentur. Organum autem in quo vis tactiua reſidet eſt caro, & nerui, qui vndique intra carnem immiſti, a cerebro originem ducunt; experimur enim, & carnem, & neruos ſentire, ſi pungantur, vel admoueatur ignis; & alioquin id fuit maximè neceſſarium ad noxias qualitates dignoſcendas; à quibus fugere oporteret; vnde etiam tactus quemadmodum ſingulis membris, ita & omnibus animalibus datus eſt, non ſic alij ſenſus.

247 Senſus interni inſident cerebro, & vnitìm ex parte obiecti complectuntur omne ſenſibile, quidquid ſcilicet ſenſatum fuit a ſenſibus externis, à quibus, medijs quibuſdam neruis, ab illis vſque ad cerebrum deductis, recipiunt ſpecies, in ſe retinent, & variè componunt. Prætereà verò actus ipſos exteriorum ſenſuum percipiunt, necnon affectiones quaſdam ab externis ſenſibus non perceptas, valdè tamen cum ſenſatis qualitatibus connexas; Quamuis autem ad hæc munera obeũda non improbabiliter interni ſenſus realiter multiplicentur; tamen probabile etiam eſt, vnum eumdemque eſſe ſenſum internum, cum ſola diſtinctione rationis; omnes enim interiorum ſenſuum actus ſunt adeò inter ſe ſubordinati, & connexi, ac ſimilem tendendi modum obtinent, in idem formale obiectum, vt non irrationabiliter eidem potentiæ tribuantur. E contrà ſinguli externi ſenſus realiter inter ſe diſſident, quia habent organa, obiecta, ac modum tendendi planè diuerſa.

248 Potentiæ ſenſitiuæ actiuæ ſimul ſunt, & paſſiuæ; ſunt enim inſtrumenta, & facultates conceſſæ ipſi Animæ ad vitaliter, ſeu immanenter operandum, multò perfectiores, quàm vegetatiuæ virtutes, aliæue naturales potentiæ; & ſentire ex ſuo conceptu actionem ſimul, & paſſionem inuoluit: nam ſi mera ſpeciei receptio ſenſatio foret, & aer, & oculus apertus dormientis videret colores. Patitur autem ſenſus tum intrinſecè recipiendo ſenſationes, vitaliter à ſe elicitas, quę ſpecies expreſſæ, ſeu vitales imagines, ac perceptiones obiectorum dicuntur; tum ſpecies impreſſas ab obiecto immiſſas, quibus mouetur, & vltimò determinatur ad operandum.

Eſſe

Digitized by Google

249 Eſſe autem neceſſarias ad obiecta percipienda huiuſmodi ſpecies impreſſas optimè ex eo probatur, quia obiectũ ſenſibile debet concurrere ad ſenſationem, nam potentia de ſe eſt indifferens ad hoc vel illud cognoſcendum, neque in ſe eminẽter continet omnia prædicata, & formalitates obiectorum, vt valeat ſine eorum concurſu repræſentare; ab obiecto igitur, & potentia gigni debet notitia; Cum ergo obiectum ſæpiſſimè ſit abſens, vel improportionatum ob ſuam nimiam materialitatem, & craſſitiem, vt immediatè ad cognitionem concurrat, quæ qualiſcunque ſit aliquam expoſcit eleuationẽ à materia, ex communi Philoſophorum, & Theologorum ſenſu, idcircò debuit omninò natura communicare obiectis cognoſcibilibus vim producendi, & immittendi ſpecies, quæ tanquam vicariæ virtutes, ſemina, & inſtrumenta obiectorũ, vim cognoſcendi effectiuè mouerent, ad vitalem obiecti expreſſionem.

250 Eadem veritas in ſpeculo, non in ænigmate, ſed clarè nitet; neque enim obiecta in ſpeculis cerni poſſent, niſi illa in hæc aliquid tranſmitterent, quod dum ad oculos ſpectantium reflectitur, viſionem cauſaret. Pariter ſublatis ſpeciebus, nulla afferri poſſet ratio, cur ſublato, vel abſcondito obiecto, viſio non ſubſiſteret: quomodo odores, & ſoni ad tam longã diſtantiam percipiantur, & cur imaginari non poſſimus ea, quæ exteriùs nunquam percepimus, è contrà optimè imaginemur ea, quæ olim ſenſu aliquo externo ſenſata fuerunt.

251 Etiamſi viſio fieret per extramiſſionem radiorum, adhuc negari non poſſent ſpecies, quia radij ab obiecto ad oculum redeuntes, infici debent aliqua qualitate ab obiecto, quam nos vocamus ſpeciem, ſi enim immutati redirent, fruſtrà tale iter ſuſcepiſſent. Abſolutè tamen omnis ſenſatio fit ſolùm per intus ſuſceptionem ſpecierum, & nulla per localem extramiſſionem alicuius rei à ſenſu, in obiectum; nam præterquamquod omnis huiuſmodi extramiſſio, vtcunquè explicetur, ad nihil deſeruit, eſt etiam impoſſibilis, quia vel extramittuntur corpuſcula, vel accidentia, ſi primum ſequitur penetratio corporum, ſi ſecundum migratio accidentium de ſubiecto in ſubiectum; & vtroque modo ſequitur motus locales contrarios, directum ſcilicet, & reflexum, ad longiſſimam diſtantiam, vnico ferè momento compleri; quibus rationibus facilè etiam euincitur ſpecies ab obiectis in ſenſus

Digitized by Google

immiſſas, non eſſe corpora, ſed qualitates, nec immitti per motum localem, ſed per continuatam productionem, ſeu eductionem, eo modo quo lumen à luminoſo per totum aerem momento diffundi conſueuit.

252 Sunt ergo ſpecies ſenſibiles accidentia ad primam qualitatis ſpeciem attinentia; quippe quæ bene diſponunt, & afficiunt potentiam in ordine ad operationem ſibi conuenientē: Dicuntur intentionales ſimilitudines, vel quia intrà latitudinem entis corporei habent eſſe quoddam valdè exile; vel potius, quia à natura ordinantur ad cognitionem, quæ eſt quędam animę attentio, ſeu intentio, qua in obiectum tendit. Differunt ab obiectis, cum medio, & ſenſibus, quibus imprimuntur, diuerſam planè denominationem tribuant, ab ea, quam ſubiectis ſuis qualitates ſenſatæ, ſeu obiecta prębent, quę multoties ſecundùm ſuam entitatem eſſe nequeunt in eodem ſubiecto, vtpotè inuicem contraria, bene tamen ſecundùm ſuas ſpecies.

253 Nihilominus huiuſmodi ſpecies cum ſimpliciter accidentia corporea ſint, vtpotè à cauſis, & ſubiecto corporeo dependentes, ſunt ſubiectiuè extenſæ, ac diuiſibiles: Obiectiuè tamen, & in repræſentando quendam indiuiſibilitatis modum ſibi vendicant, quatenus tota ſpecies, & quælibet eius pars eſt apta totum obiectum repræſentare: Experimur enim ex quolibet puncto ſpatij conſpici totum obiectum: Neque poteſt dici in quolibet puncto, ſeu parte medij penetrari tot partes ſpeciei, quot partes habet obiectum viſum, v.g, hoc ipſo enim infinitum actu admitti deberet.

254 Si autem ſpecies eſt indiuiſibilis in repræſentando, oportet etiam quod indiuiſibiliter ab obiecto prodeat, tota ſcilicet à toto, & tota à qualibet obiecti parte, quia illud repręſentat, à quo procedit: Et vlterius etiam id ſuadetur, tum quia conſpicitur aliqua pars obiecti in tali diſtantia, in qua non videretur, ſi cum reliquo obiecto continuata non eſſet: Et quò obiectum eſt maius, & extenſius, eò validiùs potentiam mouet, quod verificari non poſſet, niſi quælibet obiecti pars in ſpecie producenda, aliam adiuuaret: Tum quia vniuersè loquendo, quando aliqua operatio ab agente extenſo efficitur, tota à toto, & tota à ſingulis eius partibus emanat; alioquin nihil referret ad modum actionis, quod agens plures, vel pauciores partes haberet.

255 Quamuis externæ ſpecies à proprijs obiectis proximè efficiantur: Species tamen interni ſenſus non fiunt immediatè ab obie-

Digitized by Google

obiectis exterioribus, ſed ab actu ſenſus externi, qui dum immittit ſpeciem ſui, per neruos ſenſorios ad cerebrum, etiam ſimilitudinem obiecti, cuius eſt repreſentatio, immittit. Eſt porrò valdè notabile diſcrimen inter ſpecies externi ſenſus ex vna parte, & interni ex altera, quòd illæ ſunt talis naturæ, vt tam in fieri, quàm in conſeruari pendeant ab obiectis, ſicut lux à ſole, excepta dumtaxat ſpecie auditus, quæ poſt ſoni deſtructionem, aliquantulum durat. At verò ſpecies ſenſus interni vtpotè perfectioris, & in homine proximiùs intellectui deſeruientis, remanent in ſenſu, etiam ſublatis ijs cauſis, à quibus ſunt productæ.

256 Præter ſpecies requiruntur ad ſenſationes omnes tàm internas, quàm externas ſpiritus animales, non ſolùm, vt ſint quædam vehicula ſpecierum, à ſenſibus internis, ad externos, ſed præſertim ob conditionem naturalem cuiuſlibet potentię ſenſitiuæ, quæ vt ſuas poſſit exercere operationes, indiget huiuſmodi ſpiritibus; quibus excitantur ſenſus, & ſpecies, quæ ſine illis manent quaſi ſopitæ, vndè, vt multis experientijs conſtat, intercluſo eorum aditu, omnis vitalis operatio ceſſat.

257 Senſibile per ſe, quod nimirum verè terminat actionem ſenſus, rectè à philoſopho diuiditur in proprium, & commune. Proprium eſt, quod vno tantùm ſenſu percipitur, vt color à viſu: Commune, quod ab omnibus, vel pluribus externis ſenſibus attingitur: Et hoc quintuplex eſt. Motus ſcilicet, quies, numerus, figura, & magnitudo: Ad hæc enim ſi quæ ſunt alia commodè reduci poſſunt. Porro ſenſibile commune non ſentitur per ſpeciem propriam, diſtinctam à ſpecie ſenſibilis proprij, ſed per vnam eandemque, à ſe tamen modificatam; eo enim modo imprimit ſpeciem, quo percipitur, ſenſibile autem commune non percipitur, niſi vt modificans proprium, neque enim albedo abſtracta, ſed in concreto cũ hac, vel illa extenſione videtur. 2. de an. tex. 56.

258 Species ſenſibiles nullatenus percipiuntur à ſenſu: Ideo enim ab obiectis, immittuntur, vt per eas ipſa ſentiantur, nõ vt eas ſentiamus loco obiecti, alioquin quędam illuſio eſſet: neque ſpecies eſt ſimilitudo obiectiua, & in qua, ſed formalis, & per quam: Quidquid enim auditur eſt ſonus, quidquid guſtatur eſt ſapor, ſpecies autem ſoni, & ſaporis, nec ſonus, nec ſapor eſt.

259 Senſus per ſe non fallitur circà proprium ſenſibile, debitè ſcilicet applicatum, & omnibus impedimentis ſublatis,

quia

Digitized by Google

quia directè, & per ſe primò refertur ad illud, cum quo eſſentialem, & intrinſecam proportionem habet. Poteſt de abſoluta potentia percipi à ſenſu externo ſenſibile aliquod non realiter præſens, nec exiſtens: Siquidem præſentia obiecti exterioris ad hoc requiritur, vt ſpecies conſeruetur in ſenſu exteriori, & ideò intellectus, & ſenſus internus res abſentes percipere poſſunt, quia earum ſpecies in ſuo conſeruari non dependent ab obiectis: Poteſt autem Deus ſe ſolo huiuſmodi ſpeciem producere, & quantum libuerit conſeruare.

260 Tertium, ac præſtantiſſimum viuens eſt, quod ratione potitur, ſcilicet homo, ſubſtantialiter conſtans ex organica materia, & anima rationali, quæ, quiquid ſomniauerint nõnulli, eſt vera hominis forma; forma enim dicitur actus ſubſtantialis ordinatus ad informandam materiam, cum quà cõſtituit per ſe vnum, & eſt prima radix accidentium, & operationum propriarum talis compoſiti, huiuſmodi autem eſt anima rationalis in homine, etiam qua rationalis eſt, neque enim homo eſt ens per accidens, neque poteſt aſſignari aliud radicale principium tot diſpoſitionum, & operationum hominis, niſi anima rationalis, quæ quamuis ſit ſpiritualis, benè tamen poteſt eſſe ordinata ad actuandam materiam, in qua ſenſuum miniſterio ſpecies ad intelligendum neceſſarias reciperet.

261 Hęc forma præter quamquod eſt rationis compos, in qua perfectione omnes alias animas excedit, conuenit tamen cum reliquis alijs in hoc, quòd eſt ſimul vegetatiua, & ſenſitiua formaliter, hoc eſt verum, ac vitale principium formalis vegetationis, ac ſenſationis; vnde etiam habet homo omnes illas potentias, virtuteſq; vitales, quas habent cætera viuentia, generatiuam ſcilicet, nutritiuam, augmentatiuam, ſenſus omnes, tam externos, quàm internos, appetitum ſenſitiuum, aliaſque potentias organicas. Præterea verò habet alias ſibi proprias, memoriam ſcilicet, intellectum, & voluntatem, per quas differt ab illis, & aſſimilatur ſubſtantijs omninò ſimplicibus, & purè intellectiuis, nempè Angelis, & Deo ipſi, ad cuius ſimilitudinem, & imaginem formatum eſſe hominem ſacræ literæ teſtantur.

262 Sequitur ex his Animam rationalem, quidquid aliqui delirauerint, non eſſe primarum qualitatum harmonicam temperiem, vel quid ſimile, ſed multò excellentiorem ſubſtantialemque naturam, non diuinæ, vel angelicæ ſubſtantiæ partem, ſed diuerſæ, & inferioris Eſſentiæ ab Intelligentijs,

& Deo,

Digitized by Google

& Deo, non vnam numero in omnibus, vel multis, ſiue ſimul, ſiuè ſucceſſiuè exiſtentibus; ſed pro hominum multiplicitate multiplicem, non ſpecificè, ſed numericè, neque enim homines inter ſe ſpecie differunt, cum habeant eundem modum intelligendi dependenter à ſenſibus, & omnes per generationes vniuocas à primis parentibus deſcendant.

263 Eſt anima rationalis ſubſtantialiter ſimplex, indiuiſibilis; ac planè ſpiritualis hoc, eſt à materia ſubiectoque corporeo non dependens, id enim ex proprijs eius operationibus ſufficientiſſimè colligitur, nam omnia tàm corporalia, quàm ſpiritualia, tàm vniuerſalia, quàm ſingularia percipit, & amat; non trahitur à bono materiali, & ſenſibili, ſed appetitum ſenſitiuum contra rationem perpetuò pugnantem, propoſito ſibi ſublimiori bono, nempè honeſto, moderatur, atque ingenita libertate dominatur cunctis alijs rebus, ijſque vtitur ad ſuum finem, quod eſt ſummum bonum: Quæ & alia huiuſmodi planè indicant animum vendicare ſibi modum quendam eſſendi ſupra omnem naturam corpoream.

264 Accedit experimentum quo facilè vnuſquiſque dignoſcit, ex parte intellectus, & voluntatis, ſe eſſe omninò eundem poſt triginta, vel plures annos, qui fuit antea, eorumque recordatur, quæ tunc ſibi contigerunt, & tamen maiori ex parte variata eſt corpuſculi materia, non ergo ab hac dependet, vel hac elabente, anima elabitur, ſed habet eſſe indiuiſibile, ac per ſe ſubſiſtens, quod proindè à naturali agente non traducitur ex ſemine, ſed immediatè creatur à Deo ſimul, ac corpori infunditur.

265 Ex animi ſpiritualitate, eiuſdem ingenita immortalitas infertur, quia cum ſit independens à materia poterit vtique durare ſeparata ab illa, qua ſeparatione poſita, cum non habeat contrarium à quo deſtruatur, naturaliter manebit in æternũ: Sic etiam exigente conuenienti prouidentia Iuſtiſſimi Dei, vt ſupplicia, & proemia, quæ ſæpiſſimè in hac vita merentibus non conferuntur, ijſdem poſt mortem tribuantur. Id ipſum clamat conſenſus omnium ferè populorum, & innatus ille appetitus, quem habent homines de nominis immortalitate de quieta, & tranquilla vita, ſeu fœlicitate, quæ ſublatis omnibus moleſtijs ęternùm duret.

266 Animæ rationali tres inſunt ſpirituales potentiæ realiter diſtinctæ, nempè intellectus agens intellectus poſſibilis, & voluntas. Intellectus agentis neceſſitas ex eo colligitur, quia intellectus noſter poſſibilis in genere intelligibili eſt

pura

Digitized by Google

pura potentia, atque adeò nullam habet ſibi inditam ſpeciem intelligibilem, ſed quamcunque decurſu temporis acquirit, miniſterio ſenſuum, ſeu phantaſmatum, cum ergo huiuſmodi ſpecies intelligibiles à ſolis phantaſmatibus, vtpotè corporeis, & materialibus produci nequeant, neceſſe eſt ponere in anima noſtra vim quandam ſpiritualem, cuius officium ſit illuſtrare, ſeu complere vim phantaſmatum, vna cum ipſis ſpecies in intellectu paſſibili producendo.

267 Hanc autem vim, quam intellectum agentem dicimus à facultate intelligente, quàm intellectum poſſibilem nuncupamus realiter diſtingui, ex eo ſuadetur, quia in omni rerum genere aliud eſt, quòd ad agendum præparatur, aliud quod primo præparat, vt patet in cognitionibus ſenſitiuis, vbi obiectum ſenſibile realiter diſtinguitur à potentia ſenſitiua, quàm immutando per ſui ſpeciem, præparat ad ſenſatiorem, ſed intellectus poſſibilis, vt præparans, & immutas illius ſprenitur ſpeciei intelligibilis, ergo realiter ab eo diſtinguitur, & quemadmodum materia prima, quia eſt pura potentia, in ordines ad materiales formas, indiget agente extrinſeco, vt eas recipiat, ita intellectus poſſibilis, qui eſt pura potentia ad formas intentionales, virtutem actiuam realiter à ſe diſtinctam expoſcit.

268 Præter ſpecies ſenſibiles, ex eo patet, quia non minus intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles, ex eo patet, quia non minus intellectus, quam ſenſus de ſe eſt indifferens ad hæc, vel illa obiecta cognoſcenda, quæ nec virtualiter, nec eminenter in ſe continet: Neceſſe eſt itaque omnem rem quamcumquè cognoſcimus, congenerare in nobis notitiam ſui, quia ab vtroque notitia paritur, à cognoſcente ſcilicet, & cognito: vnde oportet, aut res ipſas cognoſcibiles, aut formas earum eſſe in anima; & ideò cum non inſint ſecundùm proprias entitates, ineſſe debent ſecundùm ſuas formas intenſionales, nempè ſpecies ratione quarum intellectus poſſibilis à philoſopho dicitur locus formarum, & intelligendo fieri ſingula.

Aug. 9. de Trin. c. 2.

269 Hæ ſpecies remanent in intellectu, etiam poſt actum intelligendi, vt ſuadet tum præteritorum memoria, tum excellentia intellectus ſuprà ſenſum internum, à quo nihilominus ſpecies ſenſibiles conſeruantur: concurrunt effectiuè vna cum intellectu ad actum cognoſcendi, ſe habent enim tamquam formæ in genere intelligibili, & complent principium proximum, vt ſit ſufficiens ad omnes formalitates, quæ in effectu reperiuntur.

Me-

Digitized by Google

270 Memoria intellectiua, ſeù vis conſeruandi ſpecies, & attingendi obiectum intelligibile vt antea cognitum, reàliter ab intellectu poſſibili non diſtinguitur, eiuſdem enim potentiæ eſt retinere, & recipere, habere ſpeciem, eademque vti, & obiectum memoriæ continetur ſub formali, & adęquato intellectus obiecto; qua etiam de cauſa diuiſio intellectus in ſpeculatiuum, & practicum, rationem ſuperiorem, & inferiorē, non eſt in facultates realiter diſtinctas, ſed in diuerſa munera vnius, eiuſdemque potentiæ: alioquin ſi actuum, & rerum intelligibilium varietas attendi deberet, ferè in infinitum virtutes intellectiuæ multiplicarentur.

271 Obiectum proportionatum, ſeu motiuum intellectus noſtri pro præſenti ſtatu eſt quidditas rei materialis: hęc in ſingulari primò cognoſcitur, & deinde à ſingularibus, vniuerſalis naturæ conceptus abſtrahitur, & primò minùs, quam magis communis, mouente obiecto ſecundùm totum ſuum poſſe: hęc eſt quæ mouet ſenſus, & his mediantibus intellectum: obiectum verò ſimpliciter adæquatum eſt ens, ſeù verum vniuerſaliſſimè ſumptum, nihil enim eſt, quod aliquo modo intelligere non poſſimus. Quandiù animus manet corpori vnitus, eius intellectus in operando obiectiuè pendet à phantaſmatibus, adeò vt ſenſu interno non operante circa aliquod proportionatum obiectum, vt in ſomno, nihil planè intelligere valeat, vt multis experientijs eſt manifeſtum.

272 Actus intelligendi creatus, ſpecies expreſſa, & verbum, vnū idemque ſunt, quod non eſt imago obiectiua, neque enim intellectus dum intelligit obiectum, contemplatur verbum mentis, tanquam id quod, & tamquam medium cognitum, vt quilibet in ſe poteſt experiri, ſed eſt ſpecies, & imago formalis, & id quo intellectus obiectum intelligit, ſeù eſt ipſamet formalis expreſſio, & repræſentatio obiecti; atque adeò non diſtinguitur ab intellectione cuius eſt verbum. Quamuis autem ſit vera qualitas, non autem mera actio, quæ eſſe non poteſt niſi terminata, non tamen producitur per actionem diſtinctam: actus quippè intelligendi, cum ſit ipſummet exercitium intellectualis vitæ in actu ſecundo, debet eſſe id, quo viuens formaliter ſe mouet, ſeù motus ipſe intentionalis.

273 Neque verò motus, & vita intentionalis creata; præſcindere poteſt à vita phyſica, actionem ſcilicet, & paſſionem inuoluente, ſicut præſcindit increata, nam Deus eſt viuens per modum actus ſecundi, excludentis omnem potentialitatem: at creatura eatenus viuit, quatenus eſt potentia, & principiū

Digitized by Google

aptum in ſe exercere operationes vitales, quæ ſunt ipſa vita in actu ſecundo, hic enim eſt communis conceptus, quem omnes de viuente creato formant: vnde nec poteſt intelligi quod viuens creatum actu intentionaliter viuat, niſi quatenus elicit operationem intentionalem, & ſe per illam mouet.

27 Præter appetitum ſenſitiuum cordi inexiſtentem, reliquis animalibus communem, ineſt homini appetitus rationalis, ſeu voluntas, ipſi animæ inhærens, quæ realiter ab intellectu diſtinguitur, cum habeat diuerſum obiectum formale, & actum, ac modum tendendi adæquatum, planè differentem ab actu adæquato intellectus, qui etiam cum ſit primaria naturæ intellectualis proprietas, habeatque operationem multò nobiliorem actu voluntatis, eſt hac ſimpliciter, & abſolutè nobilior, licèt voluntas ſecundùm quid excedat, vtpote formaliter libera, & imperans reliquis animæ potentijs, quæ ei, vel ſeruili, vel ciuili modo ſubijciuntur.

275 Inſunt voluntati, immò & intellectui, habitus naturales, qui per actus acquiſiti, per eoſdem intenduntur, & adiuuant potentiam ad eliciendos actus conſimiles, eos coefficiendo. non enim poteſt alio modo ſaluari magna illa facilitas, & procliuitas, quæ vſu, & exercitio ab huiuſmodi potentijs acquiritur. Diſtinguntur à ſpeciebus intelligibilibus, nam habitus ſe tenent ex parte potentiæ, ſpecies verò ex parte obiecti: Nec inter ſpecies eſt illa contrarietas, & incompoſſibilitas in eodem ſubiecto, quæ in habitibus oppoſitis apparet.

276 Anima ſeparata retinet quidem appetitum innatum ad corpus, cùm ſit eſſentialiter pars complebilis in toto, ad quod per ſe primò ordinatur: Nihilominùs cùm ex vna parte non appetat vnionem perpetuam cum corpore, vtpotè naturaliter impoſſibilem: Et ex alia, vtpotè ſpiritualis, & à materia ſecundùm ſuum eſſe non dependens exigat, etiam poſt ſeparationem, à Deo perpetuò conſeruari: Status ſeparationis non eſt ei violentus, ſed naturalis, non per ſe primò, ſed per ſe ſecundò, in quo ſtatu poteſt naturaliter inorganicas operationes exercere, velle ſcilicet, & intelligere, tum per ſpecies in corpore acquiſitas, tum per alias, quas vtì natura intellectualis ſibi tunc infundi poſcit à Deo.

EX

Digitized by Google

EX PHILOSOPHIA TRANSNATVRALI.

277 ABſoluto Philoſophico certamine, pręſide, ac ſuppetias paſſim ferente Philoſophię principe, ac domina Metaphyſica, agreſtis planè, ac rudis Philoſophi eſſet, ea inſalutata recedere; Nè igitur nobis adeò turpis inuratur nota, pedem extrahentes è palæſtra terga non vertimus metaphyſicæ, ſed oculis in eam intenti, vel in ipſo receſſu reueremur, ac ſalutamus ſcientiarum reginam, naturalem Theologiam, & tranſnaturalem ſcientiam, ac ſimul pauca aliqua de ipſius obiecti amplitudine, ex eius ore libenter accipimus, vt quæ omnium diſciplinarum meta, ac finis eſt, etiam his noſtris philoſophicis Theſibus finem imponat.

278 Eſt ergò Metaphyſica perfectiſſima, ac nobiliſſima ſcientia ſpeculatiua, veraque, ac propria ſapientia, non diminutum, non ignobile habens obiectum, ſed amplum, & pręſtantiſſimum, nempè ens, vt ens in tota ſua latitudine analoga, prout ſub sè comprehendit omne ens reale, & per ſe, Deum ſcilicet, & creaturas, ſubſtantiam, & accidens; quæ omnia conſiderat ſecundùm ea prædicata, quę ipſis conueniunt, in quantum entia ſunt, quà tamen reduplicatione non volumus metaphyſicam conſiderare ſolùm vniuerſaliſſimam rationem entis, & generalia attributa ei adnexa, non deſcendendo ad varias entis veluti ſpecies; ſed ita vt deſcendendo, eas ſolùm conſideret ſecundùm ea prædicata, quæ materiam, motumque ſenſibilem, non concernunt. Agit etiam Metaphyſica de ente per accidens, de impoſſibilibus, & negationibus, non tamen per ſe, ſed per accidens, & reductiuè ad ens reale, tanquam de contrarijs, & deficientibus, ſicut Logica de fallacijs, ac Phyſica de vacuo tractat

279 Nomen entis non ſignificat exiſtentiam, ſed eſſentiam; ſeu veriùs non ſignificat exiſtentiam exercitam, ſed poſſibi-

Digitized by Google

lem: Eſt enim ens reale id, quod poteſt eſſe, ſeu cui non repugnat eſſe à parte rei, quibus vocibus non aliquam veram propriamque negationem, ſed ipſam poſitiuam entis eſſentiam exprimimus. Omnes differentiæ, & modi rerum, hoc ipſo quod ſunt aliquid, & non omninò nihil, intimè, & eſſentialiter imbibunt conceptum entis, qui non deſcendit ad inferiora per veram, & propriam ſpecificam contractionem (quidquid enim addatur eſt ens) ſed per maiorem expreſſionem eiuſdem conceptus. Vnde nec eſt proprium genus, nec habet proprias differentias. Cæterum quamuis modi entis, nec ex natura rei, nec obiectiuè præſcindant ab ente, ſimplex tamen, & obiectiuus entis conceptus, non quidem formaliter in re, ſed per rationem à particularibus entibus, & modis videtur abſtrahere, cum de ſingulis verè affirmetur.

280 Diuiditur ens in creatum, & increatum, & iterum in ſubſtantiam, & accidens. Rurſus aliud eſt ens actu, aliud in potentia, aliud vniuerſale, aliud ſingulare, aliud abſolutum, aliud reſpectiuum. Ens increatum eſt ſolus Deus, qui hac de cauſa dicitur ens à ſe, reliqua omnia ſunt entia creata, & dicuntur entia per participationem, & eſſentialem dependentiam ab illo.

281 Subſtantia eſt ens per ſe, hoc eſt per ſe primò à natura intentum, vel ad eius intrinſecam conſtitutionem pertinens, prout ſubſtantia completa fuerit, vel incompleta, & huiuſmodi perſeitas, quę neceſſariò excludit inhærentiam, eſt planè de quidditatiuo ſubſtantiæ conceptu. Vltimò completur intra propriam lineam per ſubſiſtentiam, quæ eſt modus ſubſtantialis poſitiuus ab ea diſtinctus ex natura rei, per quem alteri, vt ſuppoſito redditur incommunicabilis, & ita veluti terminatur, & in ſe ſiſtitur, vt ſatis conſtat ex Dominicæ Incarnationis myſterio. Simplex eſt iſte modus, vel compoſitus, iuxta naturæ conditionem, quam terminat.

282 Accidens eſt intentum à natura propter ſubſtantiam, à qua eſſentialiter pendet, vnde & dicitur entis ens: Vnitur ſubſtantię, non vt pars, vel aliquid ad eius intrinſecam conſtitutionem pertinens, & ideò propriè inhæret, nec eſt primum ens, ſed aduenit primo enti, quòd extrà propriam lineam accidentaliter ſolùm perficit. Inhærentia actualis eſt ſolùm de eſſentia eorum accidentium, quæ nec diuinitùs ſeparari

Digitized by Google

parari poſſunt à ſuis ſubiectis cuiuſmodi ſunt accidentia modalia, aliorum verò accidentium inhærentia ſolùm aptitudinalis eſt prædicatum eſſentiale, actualis verò eſt eorumdem proprietas dumtaxat, ac connaturale complementum, cum poſſint eam, ſalua propria eſſentia, diuinitùs amittere.

283 Non ex æquo ratio entis ad ſua inferiora deſcendit, ſed per ſè primò Deo conuenit, in quo ſecundùm totam ſui plenitudinem neceſſariò, & per eſſentiam reperitur, ſecundariò autem dicitur de creaturis, quibus conuenit per participationē, & eſſentialē depēdentiā à primo ente. Similiter priùs dicitur de ſubſtantia, ſecundariò autem, & per dependentiā ab illa de accidente: Vnde diuiſio entis in creatum, & increatū in ſubſtantiam, & accidens, non eſt diuiſio conceptus vniuoci, ſed analogi in ſua analogata, tum analogia attributionis, tum proportionis. Sed etiam ſi ratio entis ad eas conferatur ſpecies, quibus ex æquo conuenit, non autem per dependentiam vnius ab alia, adhuc eſt analoga analogia proportionis, quia nempe imbibitur in vltimis earum differentijs: Eſt autem impoſſibile res diuerſas, in eo ipſo in quo diuerſæ ſunt, ſeu differentes, ac diſſimiles, vniuocè conuenire.

284 Ens in potentia, ſeu merè poſſibile ponitur actu extra cauſas formaliter per exiſtentiam, quæ eſt actus eſſendi, & nullo modo ex parte obiecti diſtinguitur ab eſſentia, alioquin cum ipſamet exiſtentia aliquando ſit in ſè ipſa exercita, aliquando merè poſſibilis, opporteret in ipſa alias duas formalitates diſtinguere, & ſic abiremus in infinitum. Et prætereà implicat in terminis aliquid eſſe formaliter ens actu diſtinctū à ſuis cauſis, per aliquid ſibi ſuperadditū, deberet enim hoc ipſo, actu ab eo ſuperaddito diſtingui, & nō diſtingui, diſtingui, quia ſuperadditur, non diſtingui, quia per ipſum eſt ens actu. Denique non poteſt in ſè ipſo à parte rei verificari eſſe eſſentię, quin verificetur eſſe exiſtentiæ, nec auferri vnum ſine alio, & ita nullum adeſt fundamentum diſtinguendi intrinſecè vnum eſſe ab alio.

285 Solùm ergo eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur extrinſecè, & ex parte conceptus formalis, quatenus nimirum entitas creata, cum non habeat neceſſitatem eſſendi realiter in ſe ipſa, neque quòad eſſe eſſentiæ, neque quòad eſſe exiſtentiæ, poteſt cognoſci, cum fundamento in rè, tum per ſimplicem

veluti

Digitized by Google

veluti cognitionem tendentem in eam quoad quideſt, tum per immediatum iudicium eandem in sè ipſa attingens,& ſub primo conceptu eſſentia dicitur, ſub ſecundo autem exiſtentia nuncupatur.

286 Entia, antequàm exiſterent, nullum habuerunt in sè ipſis realiter eſſe eſſentiæ, vel poſſibilitatem intrinſecam, quę à rei cuiuſque eſſentia minimè diſtinguitur, alioquin daretur aliquod eſſe reale ab æterno, quod à Deo non dependeret, ſed denominabantur ſolùm extrinſecè poſſibilia ab omnipotentia Dei, qui, vtpote primum ens, eſt prima radix omnis verę poſſibilitatis intrinſecæ, ſeu eſſentiæ creaturarum. Partes eſſentiæ hoc eſt gradus metaphyſici generis, & differentiæ, tam ſpecificæ, quam numericæ, ſola ratione ratiocinata diſtinguntur, tum quia nulla eſt neceſſitas ponendi maiorem diſtinctionem, cum bene poſſit eadem res multis ęquiualere, varios terminos reſpicere, & diuerſarum operationum eſſe principium, tum quia eſt imperceptibile aliquid in ſuo eſſe conſtitui, & ab alijs diſtingui, per aliquid a sè diſtinctũ, quemadmodum enim ab hoc diſtincto ſeipſo diſtinguitur, ita & ab alijs diſtingui debet.

287 Ens ſingulare, & indiuiduum eſt id, quod ita eſt vnum, vt non poſſit multis vt inferioribus communicari. Vnitas verò, & multiplicatio numerica non habetur vniuersè per materiam quantitate ſignatam, ſed res quælibet eſt hæc, & ſingularis per propriam hęcceitatem, ſeu indiuiduam entitatem, quam habet, hoc ipſo quod in re exiſtit, vel per aliquam veram actionem producitur, & ſi ſit quid finitum, & limitatum, aliorum ſingularium ſibi perfectè ſimilium de sè conſortium non excludit. Vniuerſale autem eſt vnum aptum eſſe in multis, vt inferioribus,in quibus ſcilicet realiter multiplicetur; quod fundamentaliter ſolùm in rè exiſtere,nempe quoad naturam quæ vniuerſalis denominatur,formaliter autem, ſeu quoàd vniuerſalitatem per operationem intellectus compleri,iam probatum eſt in Logicis.

288 Celebris illam entis creati diuiſio in decem prędicamenta, ſeu ſumma rerum genera, ſubſtantiam ſcilicet, quantitatem, relationem, &c. deſumpta ex modis diuerſis, quò ens ſubſtãtiam primam, ſeu ſingularem, re ipſa, denominat, non eſt immediata, ſed mediata: Immediatè enim ens diuiditur in ſubſtantiam, & accidens, & hoc deinde in nouem illa prædicamenta diſtribuitur, de quibus ſigillatim, præter ea quæ tũ

in

Digitized by Google

in Logica, tum in phyſica dicta ſunt, nihil hic dicendum ſupereſt, niſi pauca aliqua de relatione, quæ occaſione examinandi partitionem illam entis in abſolutum, & relatiuum iam propono.

289 Ens igitur abſolutum eſt, quod nō dicit ordinem ad aliud, & diuiditur in abſolutum ſimpliciter, quod ſcilicet nullatenus re ipſa refertur ad aliud, cuiuſmodi eſt ſolus Deus, qui eſt ſibi plane ſufficiens, nullius indigens, ac proinde cum nullo à sè diſtincto neceſſariam connexionem habens, & abſolutum ſecundùm quid, ab aliquo ſcilicet; non ab omni reſpectu. Ens relatiuum, ſeu relatio, eſt ordo realis vnius ad aliud, & diuiditur in tranſcendentalem, ſeu eſſentialem fundamento, quod refert, per omnia prædicamenta vagantem, & prædicamentalem, quę fundamento veluti accidentaliter aduenit, ac proinde peculiare aliquod accidentis prædicamentum conſtituit.

290 Eſſe in rebus relationes trāſcendentales, ex eo patet, quia plurimæ rerum eſſentiæ in ſuo conceptu quidditatiuo omnino inuoluunt ordinem, & habitudinem ad aliud, ſine quo vel exiſtente, vel ſaltem poſſibili, nec eſſe, nec intelligi poſſunt ſecundùm proprias rationes, v. g. actio reſpicit terminum productum, vnio extrema, quæ connectit, forma materiam, & è contra, accidens ſubſtantiam, & in vniuerſum omnes creaturæ dicunt eſſentialem ordinem dependentię à Deo.

291 Pręterea verò admitti re ipſa debere relationes prædicamentales, conſtat ex multis reſpectibus, qui contingenter rebus adueniunt, vt ſimilitudo, æqualitas, paternitas, filiatio, & huiuſmodi, accidit enim homini v. g. eſſe alteri ſimilem, vel diſſimilem, patrem, vel filium. Conueniunt relatio tranſcendentalis, & prædicamentalis in hoc, quòd vtraque reſpicit terminum à ſe diſtinctum, nihil enim ad ſe ipſum realiter referri poteſt: Diſſident verò in hoc, quòd illa non ſemper requirit actualem termini exiſtentiam, hæc verò omninò expoſcit: Illa non reſpicit terminum, vt purè terminum, ſed præter referre, ſemper aliquid aliud conſtituit, quod terminū reſpicit vt effectum, vel ſubiectū, vel formā, &c. Hęc verò reſpicit terminum, vt purè terminum, præter referre nullum aliud munus erga ipſum exercendo, vnde & definitur accidens quoddam, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere.

A fun-

Digitized by Google

292 A fundamento, termino, & ratione fundandi, relatio prædicamentalis, re ipſa non diſtinguitur, poſitis enim duobus albis, & quocunque alio ſecluſo, ex hoc præcisè quod vnum ſit tale, quale eſt aliud, intelliguntur ſimilia: Duæ quantitates bipalmares, ex hoc formaliter, quòd ambę ſunt bipalmares, æquales ſunt: Poſito quod Petrus generauerit Paulum; omnibus alijs ſublatis, eſt eius pater, & ſic de reliquis: Et quemadmodum per aduerſarios fundamentum ſe ipſo refertur ad hanc relationem, quam fundat, puta Petrus ad paternitatem, relatione ſpecificæ diuerſitatis, ne abeamus in infinitum, ita & ad priorem terminum referri poteſt.

293 Relatio igitur eſt ipſum fundamentum, vt terminum cõnotat, quæ proinde poteſt à fundamento amitti quoad formalitatem, ſeu denominationem relatiuam, non quoad entitatem; quatenus eadem entitas qualitatis, v.g. vt det denominationem abſolutam, à nullo extrinſeco pendet, at verò vt relatiuam denominationem tribuat, pendet à termino, quo præcisè poſito, nihil in ea amplius deſideratur, ad hoc, vt relatiuè ſubiectum denominet, vnde inualuit, quòd poſito fundamento, & termino, relatio conſurgit.

294 Ens vniuerſaliſſimè acceptum, & ſi rigoroſis, ſeu poſitiuis proprietatibus realiter careat, quia nihil poſitiuum datur, quod ſit extrà rationem entis, ac proinde realis eius proprietas eſſe poſſit, vendicat tamen ſibi attributa quædam, quę eatenus dicuntur paſſiones, quatenus ſunt conceptus quidam ſecundarij, qui intelliguntur conſequi ad ens, vt ens eſt. Sunt autem huiuſmodi attributa vnum, verum, bonum. Vnitas nihil poſitiuum enti ſuperaddit, ſed ſolam negationem diuiſionis; Vnum enim eſt, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio.

295 Veritas addit enti cognoſcibilitatem, & conformitatem cum intellectu vero, præſertim diuino, quę vel eſt denominatio extrinſeca à cognitione, vel relatio, non realis, ſed rationis. Bonum verò, quod eſt ipſum ens tum quatenùs perfectum, ſeu carens defectu perfectionis debitæ, tum quatenùs conueniens, & appetibile, ſuperaddit enti, negationem defectus, & ordinem rationis conuenientiæ, tum ad Deum, omnia enim quæ ſunt Deo conueniunt, congruuntque eius maieſtati, & alijs attributis manifeſtandis, tum ad appetitum, à quo ens appetibile denominatur.

Præ-

Digitized by Google

296 Prӕter ens reale, & ſecundas intentiones Logicas, quæ ſunt denominationes reales extrinſecæ ab actibus intellectus, poteſt etiam aliquo pacto admitti ens rationis metaphyſicum, quod dicitur eſſe id, quod ſolùm habet eſſe obiectiuè in intellectu; ſeu impoſſibile cognitum, quod vt videre eſt in hircoceruo, eſt complexum quoddam ex prædicatis ſaltem virtualiter contradicentibus, quod conſtituitur formalitèr impoſſibile à parte rei per ipſam neceſſitatem eſſentialem, quàm habent reales eſſentiæ, quas includit, eſſendi id quod ſunt, & ſe eſſentialiter excludendi: Fit verò ens rationis per ipſam cognitionem fingentē, eas quodammodo adunantem, & per modum vnius concipientem, quæ cognitio eſt ipſa obiectio, qua obijcitur, & fictio, quà fingitur. Non efficitur ab intellectu diuino perfectiſſimè omnia cognoſcente ſecundùm totam veritatem obiectiuam, quam habent, ſed ſolùm ab intellectu create deficiente, ſibique repræſentante obiecta per ſpecies inadæquatas, & imperfectas, quibus diuerſimodè abutitur.

297 Nullus conceptus obiectiuus conſtituitur formaliter impoſſibilis à parte rei per negationem ſui ſimpliciter, & adæquatè; tunc enim daretur non ens, non entis, & negatio negationis, ac proindè medium inter contradictoria, quod implicat: Sed benè per contradictionem terminorum, hoc eſt per negationem, qua vnum eius prædicatum aliud eſſentialiter excludit. Rerum negationes nihil verum, ac reale ponunt ex parte obiecti, nec propriè exiſtunt, ſed abuſiuè, eatenus enim ſuo modo verificantur, quatenus non verificatur terminus negatus: Idem enim formaliſſimè eſt dari negationem alterius mundi, ac non eſſe alium mundum.

298 Sed ne in nihilum deſinat diſputatio noſtra, à non ente ad ens redeuntes, dicimus hoc tandem diuidi in materiale, & immateriale, ſeu corporeum et ſpirituale. Ens materiale, & corporeum eſt, quidquid materiam, & corpoream molem inuoluit, vel ab ea dependet: Spirituale e contrà eſt ens ab omni materia, & corporis concretione eleuatum, nec vllatenus ab ea dependens, cuiuſmodi ſunt anima rationalis, & intelligentiæ, cum ſibi inhærentibus affectionibus, & potiſſimum Deus.

299 Et quidem admittendas eſſe intelligentias, quæ ſint ſubſtantiæ complete à materia abſtractæ, ſatis probabiliter ſuadetur, tum ex perfectione mundi, tum ex motu cœlorum, tum ex multis alijs admirandis effectibus, qui non niſi ab

P imma-

Digitized by Google

immateriali virtute procedere poſſunt: & cum multoties ad malum inducant non eſt credibile, quòd prodeant à ſolo Deo; cum præſertim Deus per cauſas ſecundas ſoleat omnes naturales motus exercere, vt inductione conſtat.

300 Prȩeſſe verò creaturarum vniuerſitati puriſſimum ſpiritum, rebus, eſſe, & vitam iugiter impertientem, quò nihil maius, meliuſuè excogitari poſſit, ex ſe beatiſſimum, prouidum, ſapientem, in agendo liberum, immenſum, æternum, immutabilem, à ſe, & ex ſe exiſtentem, actum eſſendi puriſſimum, ſummè neceſſarium, infinitè perfectum, inmultiplicabilem, ac ſingulariſſimam eſſentiam, cui cuncta parent, & eſſentialiter ſubijciuntur, rerum omnium primum principium, & vltimum finem, quem vnico vocabulo Deũ dicimus, pulcherrima mundi diſpoſitio, & omnia, quæ facta ſunt, intellecta, demonſtrant. In hoc ente neceſſariò omnis creaturarum contingentia ſtabilitur. Hac immenſurabili menſura, maior, minorue rerum perfectio dignoſcitur, & menſuratur. Ab hoc pleniſſimo fonte totius eſſe, cum procedi nequeat ininfinitum, incipit, in eumdemque deſinit omniumcauſarum, & mouentium ſeries, & ipſe intellectus motus vltimò conquieſcit.

Ipſi Laus, Honor, & Gloria.

F I N I S.

LY-

Digitized by Google

LYRICVM CERTAMEN
QVO
PETRI ALOYSII
CARAFAE
S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI
Ad Honores promoti
Gloriam
Sibi Virtutes Vendicant.

PIETAS, ET SAPIENTIA.
CHORVS DVPLEX VIRTVTVM.

Pietas. *HOC ego ſperabam ſocia ambitioſa Theatrum,*
Quo decus ipſa meum ſinuoſo in margine Thybris
Aſſererem, & Româ, geminum quæ iudicat orbem
Addicente, feram inuidioſa præmia laudis,
Vt tenero Heroi ſacri quæ pabula lactis
Intemerata dedi, proauum ad faſtigia dicar
Miſiſſe, & meritam capiti impoſuiſſe Tiaram.
Ergo ludite barbitis,
Et colludite vocibus,
Plectrum ducite eburneum,
Cantum promite melleum.
Reddant harmonicum melos
Vocales fidibus Lyræ:
Spirent organicos modos
Leni pectora gutture,
Et læta mugiant
Concaua rupium,
Nec aures fugiant
Carmina nubium,
Tollatur vndique pietatis ars,
Per quam hic emicat tam clara fax.

Chorus. *Tibi diuinum puero nectar*
Vbere pleno Regina dedit;
Oraquè dulci ſparſa liquore
Ingeminatis comprimit oſculis.
Inde ſuaui plena vigore
Sperare docet pectora titulis
Cumulaturos nomen honores.

Vna ex Choro. *At non minacem fronte ferociam*
Tollituè celſo cornua vertice,
Iubetquè, veſanas mouere
Viribus, ingenioque pugnas.
Nec longioris ſegnitiem moræ
Faſtidientem, pandere turbidis
Mari imminentibus procellis
Vela, nigris laceranda ventis,
Sed miſſa leni corde ſerenitas
In ora fulget, pacis amantia,
Mitiſque ſpirat, dum fauoni
Aura, monet, moderare curſum.

Duo ex Choro. *I Heros, I tutas*
Percurre, & iucundas
Dat Zephirus vndas
Iacentes, & mutas.
Erroris ſecurum
Gentilis ſtatera
Per æqua, ac ſincera
Te regit iturum,
Excelſi parantur
In littore honores,
Piiquè labores
Ad metam vocantur.
Decorus en micat
Iam Petrus in oſtro,
Huic plauſu cum noſtro
Se cithara dicat.

Omnis Chorus. *Vt læta mugiant*
Concaua rupium,
Nec aures fugiant
Carmina nubium,
Tollatur vndiquè pietatis ars,
Per quam hìc emicat tam clara fax.

Sapientia. *Nam quæ concordi ſeritur diſcordia cantu?*
Sic nullo patiar tolli certamine palmas,
In lucem, quas ipſa meo ſudore vocaui?
Quas longo foui obſequio? ſic prodiga tantæ
Laudis ero? Pietas ſola plauſus audiat,
In vrbe Mundi Principe, Altum principem
Iunxiſſe Petrum dicta ſacrato ordini,

Qui-

Digitized by Google

Quibus refulget terra, ceù ſtellis polus?
Haud tale ſophia dedecus feret tacens.
Ad cantus, ad ſonos,
Ad cytharum pulſus,
Ad plectrum concurſus,
Ad organum tonos.
Ad cymbala arguta,
Ad fides ſonoras,
Ad barbita acuta,
Ad tubas canoras.
Agite, ò ſociæ, celeres agite,
Quæquè diſerto fluis eloquio,
Tuquè parenti filia charior;
Age diuini conſcia numinis
Hauſta ſupernis fontibus edocens.
Age Cæſarei certa peritia
Iuris, & orbi dicta ſacratior
Lex, decretis rata Cœleſtibus.

Chorus. *Pugnemus omnes, certemus,*
Inſignem gloriam,
Summam victoriam
Ducemus omnes, feremus.
Sit nobis telum
Mellita vox,
Decet, & Cœlum
Hic pugnæ mos.

Eloquentia. *Ilicet prima tenerum iuuenta*
Melle ego paſtum, docui catenas
Dulce tracturas populos, duceſque,
Spargere lingua.

Logica. *Palladis bello validas ferenti*
Ingeni vires, & amica veri
Corda ſcrutandi, Logice ſacrata
Limina pandi.

Philoſophia. *Ipſa gemmarum ſuperante fulgur*
Laurea, ac flaui pretium metalli,
Inter applauſus meriti theatri,
Tempora cinxi:

Theologia. *Quantus at noſtris ſtudijs relucet*
Præſulum dignus moderare ſceptra,
Corda qui longo ſatiauit hauſtu ad
Flumina Olympi!
Vi mea firmas populatus arces
Hæreſis, vulpes ſpolio doloſo
Exuit, veræ fidei columna,
Præſidiumque.

Iuriſperitia. *Criminum vltrices, meritis fauentes,*
Deuij certum moderamen orbis

Tradi-

Digitized by Google

Tradidi leges, & vtroque pectus
Vbere paui.

Ex Choro. *Iam quiſque rigatum*
Ad limpidos fontes,
Sublimes ad montes
Victorem ſublatum;
Vt inde candentes
Dum vibrat fulgores,
Vt inde ſilentes
Dum mouet ſtupores,
Vocetur auitos
Ad purpuræ honores.
Ad gradus quæſitos
Per claros labores:
Audaci tendat carmine
Suis Petrum muneribus,
Fulgere parem Regibus
Thybris efferre è margine?

Chorus omnis. *Ah quæque voces*
Tollat atroces,
Sonos furentes
Dent lyræ ardentes.
Boate organa,
Litui clangite,
Tinnite cymbala,
Barbita fremite.

Omnes. *Pugnemus omnes, certemus,*
Inſignem gloriam,
Claram Victoriam
Feremus omnes, ducemus.

Vna ex Choro. *Vt ſophia meritis magnam CARAFA Tiaram*
Acceptam referat, proprio & fulgore micantem
Roma colat, ceù gemma nitet pretioſa ſub auro.

Digitized by Google

Digitized by Google